THEOLOGIA PASTORALIS.

AERTNYS

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

Prostat

Galopiæ,	apud	M. Alberts et filios.
Londini,	»	Burns et Oates, Orchard Str. 28.
Tornaci,	»	Casterman, via Tête-d'Or, 5.
Parisiis,	»	Librariam internation.-catholicam, via Bonaparte, 66.
Dublini,	»	J. Duffy et soc., Wellington Quay, 14 et 15.
Lintiæ	»	Qu. Haslinger.
Romæ	»	Typographiam de Propaganda Fide.
Paderbornæ,	»	Ferd. Schöningh.
Monasterii,	»	» » Prinzipalmarkt, 1.
Osnabrugæ,	»	» » Domhof.
Moguntiæ,	»	» » Augustinerstrasse 42.
Amstelodami,	»	W. Van Gulick, Singel 263.
Ultrajecti,	»	Vid. J. R. Van Rossum.

THEOLOGIA PASTORALIS

COMPLECTENS

PRACTICAM INSTITUTIONEM CONFESSARII,

AUCTORE

JOS. AERTNYS, C. SS. R.

THEOLOGIÆ MORALIS ET S. LITURGIÆ PROFESSORE.

»Dentur idonei Confessarii, ecce omnium Christianorum plena reformatio.« S. Pius V.

ALMA COLLEGE
239.7
LIBRARY
A284
Alma, Calif.
ALMA COLLEGE
BIBL.
LIBRARY
P. R.
Alma, Calif.

PADERBORNÆ,

FERDINAND SCHÖNINGH,

MONASTERII, I. W., PRINZIPALMARKT 1, — OSNABRUGÆ, DOMHOF.

MOGUNTIÆ, AUGUSTINERSTRASSE 42.

1892.

22445

APPROBATIONES.

Librum, cui titulus: *Theologia Pastoralis, complectens practicam institutionem Confessarii, auctore Jos. Aertnys, Congregationis SS. Redemptoris, Theologiæ moralis et S. Liturgiæ Professore*, a duobus Congregationis nostræ Theologis, quibus ejusdem examen commissum fuit, recognitum et approbatum, potestate nobis factâ a R^mo^ nostro Patre Generali N. Mauron, in publicam lucem edi permittimus.

J. MEEUWISSEN, C. SS. R.
Sup. Prov. Holl.

Amstelodami, 2 Julii 1892.

IMPRIMATUR.

P. MANNENS,
S. Theol. Doct. et Prof. Libr. Censor.

Ruræmundæ, 14 Julii 1892.

GALOPIÆ. — Typis M. Alberts & Filiorum.
Proprietas auctoris salva est.

PROŒMIUM.

Præsens opus, quod Sacerdotibus offero, complementum est meæ Theologiæ Moralis. Complures forte lectores præcedentis Operis mirati sunt quod prætermiserim tractare de modo agendi in excipiendis confessionibus variarum personarum, de confessione generali, et de aliis materiis, quæ ad praxim tribunalis pœnitentiæ quam maxime faciunt. Motivum hujus omissionis fuit, quia semper in animo habui, quumprimum per tempus liceret, practicam institutionem Confessarii componere et in lucem edere. Deo favente, cœptum feliciter ad exitum perduxi.

Fines, quos mihi proposui in hoc Opere conscribendo sunt: primò, Sacerdotibus inspirare magnam venerationem erga admirabilem illam ac clementissimam institutionem Christi in suâ Ecclesiâ, Sacramentum nimirum Pœnitentiæ, quo ossa arida et dispersa in vastissimo hujus mundi campo, peccatores nempe, per sacram Absolutionem denuo recipiunt spiraculum vitæ. Deinde, efficere ut ministri hujus Sacramenti magni faciant sublime suum officium, quo Dei adjutores sunt in opere Redemptionis hominum, utque propterea hoc venerandum Sacramentum non leviter nec temere tractent, sed omnem operam navent ut officium istud debitâ ratione administrent. Quare necesse est ut non solum docti et prudentes, sed et sancti Confessarii sint.

Demum, pro viribus colligere studui tum ex Doctorum libris, tum ex propriâ aliorumque peritorum experientiâ, quamplurima documenta practica, quæ serviant ad ministerium Sacramenti Pœnitentiæ digne et cum fructu obeundum. Ut autem quæ dicturus sum majorem fidem inveniant apud lectorem, adnotabo nomina Doctorum, ex quibus allatam doctrinam magnâ ex parte hausi. Sunt autem: S. Alphonsus. *Praxis Confessarii*, (1) et *Silva rerum prædicabilium*. Ven. P. Segneri. *Instructio Confessarii*, item *Institutio Parochi*, et *Instructio pœnitentis*. Polanco. *Breve Directorium Confessarii*, et *Methodus juvandi morientes*. Lohner. *Instructio practica de Confessionibus rite ac fructuose excipiendis*. Reuter. *Neo-Confessarius*. Zenner. *Instructio practica Confessarii*. Benger. *Pastoral-Theologie*. Scaramelli. *Directorium asceticum*. Villada. *Casus conscientiæ his præsertim temporibus accommodati*. Mach. *Le trésor du Prêtre*. Schneider. *Manuale Clericorum*. Schneider-Lehmkuhl. *Manuale Sacerdotum*.

Quum Opus meum titulo donaverim Theologiæ Pastoralis, utile sane erit tituli hujus rationem reddere. Theologia Pastoralis universim spectata definiri potest: Institutio practica Pastoris animarum ad rectam et fructuosam gestionem sui muneris. Complectitur ergo omnia media salutis, quibus Pastor in foro tum interno tum externo oves suas pascat atque in finem ultimum conducat. Ad scopum istum triplici potissimum officio contendit, videlicet officio ædificandi bono exemplo, officio prædicandi, atque officio ministrandi Sacramenta. Porro Theologia Pastoralis aptam methodum proponit, quâ Pastor animarum

---

(1) Versio latina *Praxis Confessarii*, sicut et *Hominis Apostolici*, non est facta ab ipsomet S. Alphonso, uti constat ex ejus Epistolis *part. 2. corresp. spec.* Ea, quæ ex *Praxi Confessarii* excerpam, cum textu originali contuli, et emendavi. *Praxim* allegabo notando solos numeros.

pastorali munere recte et salubriter, i. e. cum magno animarum spirituali emolumento, fungatur, ut animas suæ curæ commissas non solum juxta præcepta moralitatis, verum etiam juxta regulas perfectionis dirigere valeat. Duplex enim genus datur Christianorum; alii, perfectionis non solliciti, per viam mandatorum, per fugam graviorum culparum, mediaque necessaria omnibus communia, ad salutem sunt dirigendi; alii, propter statum susceptum vel ob bonas quas ostendunt dispositiones, majori curâ juvandi sunt ad perfectionem vitæ christianæ adipiscendam, nempe ad peccata etiam venialia fugienda, virtutes generosius exercendas, consilia evangelica servanda, ut sic securius et plenius salutem suam consequantur.

Ex Theologia Pastorali eam partem tractandam suscepi, quæ certe majoris est momenti, nempe practicam institutionem Confessarii ad rite ac fructuose administrandum Sacramentum Pœnitentiæ. Etenim Confessarii præ omnibus aliis propius concurrunt ad salutem animarum, quippe cum nullus præter ipsos tam propinquam operam conferat ad infusionem gratiæ, per quam animæ vitam accipiunt; nemo potiori jure janitor seu claviger cœli appellatur; cæteri namque doctrinâ, correptione, consiliis, solummodo bonas quæ requiruntur animi dispositiones producunt, Confessarii autem portas inferni claudunt, cœli januam aperiunt.

Quod tandem ad operis conspectum attinet, illud in tres partes dividitur. In primâ parte proponam dotes, quibus Confessarius instructus esse debet. In secunda parte statuam praxim, quam generatim servare debet quatenus est Pater, Judex, et Medicus. Tertia pars denique complectetur praxim, quæ specialiter servanda est tum erga personas

diversis vitiis obnoxias, tum erga personas ætate, sexu, statu, vel conditione diversas.

Priusquam finem faciam, lectorem commonefacere volo me pro modulo meo potissimum scripsisse in gratiam juniorum Confessariorum, qui, licet Theologiam moralem bene edocti, tamen in praxi modoque tractandi pœnitentes adhuc institutione indigent. Nihilominus, etiam Confessarii eruditi longâque experientiâ docti non pauca fortasse in hoc Opusculo invenient, quæ et ipsis quoque lumen et opem latura sint. Quodsi labor meus utilis gratusque benignis lectoribus videbitur, Deum velut omnium bonorum fontem pro benefacto hoc mecum grato animo collaudare velint, et meî in SS. Sacrificiis meminisse dignentur. Si quid minus rectum scripserim, ad emendandum paratus sum.

In Collegio Wittemii, festo Patrocinii S. Joseph, 1892.

INTRODUCTIO.

1. — Tritum effatum est S. Gregorii: »Ars est artium »regimen animarum." (1) Munus enim Confessarii est sublimissimum, est difficillimum, at simul etiam saluberrimum. Est *sublimissimum;* quia exercet judicium Dei, judicium quidem, non vindictæ, sed misericordiæ, potestatem habens plane divinam remittendi peccata hominum, claudendi infernum aperiendique cœlum, idque tantâ auctoritate, ut quæ in terris recte decreverit, in cœlis rata et firma habeantur. Est *difficillimum;* multo quippe difficilius cognoscuntur et sanantur morbi animi, quam morbi corporis; hisce peritus medicus, illis peritus medetur Confessarius. Ad peritum autem Confessarium efficiendum multa concurrunt, nimirum scientia tum theoretica tum practica; magna insuper prudentia, magnaque virtus, verus præcipue animarum zelus; multa denique exercitatio et praxis in hoc munere. Est tandem munus *saluberrimum;* »Etenim, inquit »S. Alphonsus *n.* 1., ex Confessariorum bono aut malo »regimine potissimum pendet populi salus aut ruina. *Den»tur idonei Confessarii*, dixit S. Pius V, *ecce omnium chris»tianorum plena reformatio.* Non est dubitandum, quin, si »omnes Confessarii eâ pollerent scientiâ et morum bonitate, »quas tantum ministerium exigit, nec mundus ita pecca»torum cœno deturpatus esset, nec infernus tot baptiza»torum animabus repleretur." Revera, quid facit bonus Confessarius? Ignorantes docet, dubitantibus bene consulit, errantes in viam revocat, mœrentes consolatur, pro peri-

Rei momentum.

(1) Pastor. part. 1. cap. 1.

clitantibus de salute Deum deprecatur, diræ servituti diaboli mancipatos redimit, media salutaria adhibet atque injungit, quibus a relapsu in eamdem servitutem custodiantur; sic divinæ misericordiæ Sacramentum rite administrando, quot animas salvat!

Merces laboris.

2. — Magni ergo momenti est munus Confessarii, sed, ut experti norunt, simul est opus fastidiosum, defatigans, necnon periculi plenum. Propterea ad animum suum erigendum, consideret Confessarius quanti Christo constiterit opus Redemptionis hominum, quanta futura sit merces, quâ in æternitate compensabuntur boni Confessarii. Si enim supremus Judex promisit mercedem suam cuicumque, qui potum dederit uni ex minimis suis calicem aquæ frigidæ in nomine suo, (Matth. X. 42) quam mercedem, quam gloriam exspectare poterit ille, qui ex verâ charitate totam vitam suam impendit et consumit pro salute æternâ fratrum suorum? Quinimo non in alterâ vitâ solum, verum etiam in hâc vitâ non deërit solatium sollicito Confessario; videns fructum zeli sui in animabus illuminatis, conversis, emendatis et sanctificatis, sæpe dicere poterit cum Apostolo: »Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni »tribulatione nostrâ." (II Cor. VII. 4.) Contra vero, expendat quanta futura sit maledictio mali Confessarii, qui fecit hoc opus Dei negligenter; ponderet quam strictam rationem coram tremendo tribunali Jesu Christi redditurus sit ille, qui ob imperitiam, sive incuriam, sive impietatem suam, causa est damnationis complurium, pro quibus Christus omnem sanguinem suum fudit! »Certum est, inquit S. Alph., »Dominum rationem a Confessario exquisiturum esse, si »qua anima ejus culpâ perierit." (1) Hinc serio et pro viribus eniti debemus, ut simus peridonei ministri Christi et fideles dispensatores mysteriorum Dei.

---

(1) Silva. part. 2. cap. 4.

PARS PRIMA.

De dotibus Confessarii.

Officia Confessarii.

3. — Quatuor sunt officia, quæ Confessarius exercere debet, Patris nempe, Doctoris, Medici, et Judicis. Inter hæc præcipua sunt officia Judicis et Medici; etenim duos fines habet pœnitentia, unus scilicet est, destruere ac delere culpas præteritas, alter impedire futuras. Ad primum contendit Sacerdos officio Judicis; alterum obtinet Medici munere. Et quamvis officium Judicis sit primarium, officium autem medici secundarium, nihilominus non minus interest pœnitentis reperire a quo curetur, quam a quo absolvatur. Officium porro Doctoris facile revocari potest ad officium Medici; nam ignorantia inter hominis infirmitates reputatur. Denique officium Patris eo spectat ut Confessarius cuncta sua munia cum paternâ charitate exerceat.

Dotes ejus.

Ut Confessarius Judicis ac Medici partes rite adimpleat, atque adeo Sacramentum Pœnitentiæ fructuose administret, tres dotes in eo requiruntur, scilicet scientia, prudentia, et virtus, de quibus in Opere nostro (1) jam egimus, hic autem plura ad praxim utilia notabimus, aliter quam in Opere fecimus. Virtutibus deinde opponemus vitia, quæ Confessarius vitare debet.

CAPUT I.

SCIENTIA CONFESSARII.

Necessaria est.

4. — Quam necessaria sit Confessario scientia, Scriptura eloquitur: »Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem »requirent ex ore ejus." (2) Imperitos Sacerdotes a functione tanti muneris repellit ipse Deus: »Quia tu scientiam »repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi." (3)

---

(1) Theol. Moral. lib. VI. n. 265. et seqq. — (2) Malach. II. 7. — (3) Os. IV. 6.

Quapropter S. Alphonsus non dubitat asserere »in statu »damnationis esse eum Confessarium, qui sine sufficienti »scientiâ ad Confessiones excipiendas se exponit." (*n.* 18.) Illa porro scientia requiritur, quæ sit proportionata conditioni pœnitentium, qui confitendi causâ accedunt. Quare qui exponitur ad audiendas Confessiones in loco, quò undique omnis generis pœnitentes confluunt, multo majorem scientiam habere debet, quam ille qui solum rudium et simplicium hominum Confessiones excipiendas habet; ille insuper, qui Religiosorum aut Monialium Confessiones audire debet, Theologiam asceticam callere etiam debet.

Magna sit. 5. — Multam requiri in quolibet Confessario scientiam, luculenter claret ex eo quod ejus partes sint triplici fungi officio, Doctoris nempe, Medici, et Judicis. Oportet enim eum nosse imprimis peccatorum species, mortalia a venialibus distinguere, convenientes interrogationes facere, causas peccatorum indagare, apta remedia in promptu habere, pœnitentes instruere, disponere, sanare, de dispositionibus et de concedendâ aut differendâ absolutione judicare, et complura alia. Horum scientiam nonnisi Theologiæ Moralis ac Pastoralis studio serio et assiduo poterit sibi comparare. Dico: *studio assiduo*; cum enim hæc Theologia tot materias diversas et dispares complectatur, multa sunt, quæ non passim occurrunt, et ideo, quamvis probe scita, lapsu temporis e memoriâ elabuntur; quare oportet frequenti studio eas in memoriam revocare. (*n.* 18.) Quantam porro Ecclesia scientiam exoptet in Confessario, declarat Rituale Romanum *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 3. hisce verbis: »Quantam potest maximam ad id scientiam »atque prudentiam, tum assiduis ad Deum precibus, tum »ex probatis auctoribus.... et prudenti consilio peritorum »studeat sibi comparare." Et Bened. XIV in Constit. *Apostolica.* 26 Junii 1749 *n.* 21, idem affirmat: »Optandum sane »esset ut quilibet Confessarius eâ polleret scientiâ, quam »eminentem appellant: verum, cum hæc dos paucorum sit, »necesse omnino est ut competenti saltem scientiâ sit in»structus." Rationem dat *n.* 18: »Haud ignoramus sacra»mentales Confessiones.... eo, quem exspectamus et sum-

»mopere expetimus, fructu carituras, nisi a probis, doctis, »ac in sanâ Ecclesiæ doctrinâ rite instructis Pœnitentiæ »Ministris excipiantur." Confessarius, qui competenti scientiâ caret vel justo rigidior vel justo laxior erit.

6. — Tandem scientia, quam Confessarius habere debet, *practica* sit oportet, quâ prodesse valeat saluti animarum, casusque conscientiæ passim occurrentes resolvere. De eâ hæc scripsit S. Alphonsus: »Quidam, qui eruditos et Theo- »logos præclaros se jactant, legere Moralistas dedignantur; »*Casuistas* (nomen contumeliosum apud ipsos) eos appellant. »Dicunt ad Confessiones rite excipiendas sufficere principia »generalia Moralis callere; his enim posse resolvi omnes »casus particulares. Quis negat omnes casus principiis esse »resolvendos? Sed hic jacet difficultas, in adaptando prin- »cipia ad casus particulares, tam diversis circumstantiis »irretitos, atque in discernendo quodnam principium occur- »rentibus circumstantiis congruat: nequit id fieri sine magnâ »discussione rationum, quæ pro utrâque parte adsunt. Et »hoc opus est, quod Moralistæ effecerunt; explicare conati »sunt quibus principiis multi casus particulares resolvi de- »beant. Præterea hâc nostrâ tempestate adsunt tot leges »positivæ, bullæ et decreta, quæ sciri nequeunt, nisi casu- »istæ legantur, qui eas collegerunt, et prout materiarum »varietas expostulat, opportune referunt; ideo, quo Mora- »listæ recentiores sunt, eo antiquis (sub hoc respectu) »utiliores sunt. Merito dicit Auctor operis: *Instructio pro* »*novis Confessariis. part. I. n.* 18, multos Theologos, quanto »profundiores sunt in scientiis speculativis, tanto rudiores »esse in scientiâ morali, quæ, ut scribit Gerson in *Tract.* »*de Orat.*, omnium difficillima est, et nemo doctus est, »quantumvis in eâ versatus, qui studendo non semper re- »periat nova; ex quo infert nunquam Confessario deseren- »dum esse Theologiæ Moralis studium. Doctissimus Sperelli »*De Episc. p.* 3. *c.* 4. pariter dicit procul errare eos Con- »fessarios, qui totos se dedunt studio Theologiæ Scholas- »ticæ, æstimantes tempus studio Moralis impensum esse »tempus quasi perditum, et deinde nesciunt distinguere

Practica sit.

»*lepram a leprâ* (1); *qui error*, subjungit, *confessarios simul* »*ac pœnitentes in æternum interitum trahet.*" (*n.* 17.)

Hisce verbis S. Alph. necessitatem probat Theologiæ casuisticæ; sed iisdem et a fortiori probatur necessitas practicæ institutionis Confessarii, quæ propius spectat ad praxim, cum methodum practicam tradat confessiones rite ac fructuose excipiendi, ita ut Confessarius respectu suiipsius discat pericula hujus muneris evitare, et respectu aliorum magnum animarum lucrum facere. Utinam in hoc tam momentoso negotio omnes Confessarii uniformes essent!

Scientiam nihil supplet.

7. — Probe autem animadvertere debet quivis Confessarius quod scientiam doctrinæ moralis et pastoralis nihil supplere valeat. 1° *Non dotes ingenii.* Recte notat Lehmkuhl *n.* 438: »Quamquam naturale judicium, naturalisque »prudentia multum juvant ad Confessarii munera bene ex»ercenda, tamen sine solidâ doctrinâ non prosunt, imo »saepe Confessarium exponunt periculo temere rem defini»endi contra omnia sanæ doctrinæ principia. Qui vero »congenitâ prudentiâ non adeo præstat, eo magis sese ex»ercere debet, atque casuistarum solutiones pervolvere et »expendere, quo judicium suum acuat atque principia ap»plicare addiscat." 2° *Neque experientia aut Confessionalis usus.* Etenim ad ea, quæ spectant ad licitum vel illicitum, sola nihil juvat experientia. Sed neque ad ea, quæ pertinent ad directionem; nam experientia sine prævia scientiâ non est ut plurimum nisi diuturna errandi consuetudo, prout recte advertit Habert (2): »Diuturna Confessarii ex»perientia, qui studio et scientiâ careat, vetustas erroris est," additque pejorem esse conditionem senis indocti, qui fretus experientiâ suâ in proprio sensu abundat, quam junioris adhuc imperiti, qui docilitatem habet. Ergo, nisi cum solidâ doctrinâ pari passu procedat, confessionalis usus periculum potius est quam adjumentum.

---

(1) Id est, peccata mortalia a venialibus.
(2) Praxis Sacr. Pœnit. tract. I. cap. 4.

8. — Demum operæ pretium erit aliquot objectiones ad trutinam revocare, quas proferre solent nonnulli Confessarii a studio refugientes. 1° *Episcopus me approbavit; ergo idoneus sum et competenti scientiâ polleo.* Responsio in promptu est: Confessarius, dum manifeste inhabilem se non novit, jure potest, imo debet in sui Superioris judicio acquiescere, ut notat S. Alph. *n.* 18. in fine; contendere autem approbationem Episcopi Confessarium deinceps eximere a studio vera dementia est: id nimis claret ex dictis, et gravissimi quique Doctores uno ore asseverant, Confessarium, ut rite fungatur officio suo, jugi studio indigere. *A studio nihil eximit.*

2° *Scientia moralis in recto judicio fundatur, adeoque bonus tantum requiritur sensus, ut quis sese gerere valeat.* Respondemus: Scientia moralis complectitur a) præcepta supernaturalia positivæ legis divinæ; hæc autem sub bonum sensum non cadunt, quippe rationem superant; b) multas leges ecclesiasticas, quas nemo, nisi doctrinâ excolatur, scire et recte capere potest; qui bono sensu duce de hisce decidere auderet, sane ridendus esset; c) præcepta legis naturæ; lex naturæ profecto in suis principiis est perspicua, sed in conclusionibus obscura; ut hanc veritatem inspiciamus, satis est oculos conjicere in tot volumina Theologiæ Moralis, quæ doctissimi Theologi ediderunt, ut lucem afferrent iis, quæ ad legem naturalem referuntur, iis potissimum, quæ ad justitiam et restitutionem pertinent. An non plane bonum sensum pessumdaret, qui crederet sine Doctorum subsidio unum satis esse bonum sensum expediendis omnibus difficultatibus, quæ in materiis juris naturalis occurrunt?

3° *Praxis differt a theoriâ.* Respondemus: Effatum hoc potest bonum vel malum sensum habere. Si intelligatur longe difficilius esse in praxim redigere Sacramenti Pœnitentiæ regulas, quam illas addiscere, verissima est sententia; et inde inferendum est doctissimo quoque Confessario lumini suo fidendum non esse, sed indesinenter opem Dei oratione adsciscendam. Si eo sensu intelligatur, in quo illud indocti usurpant Confessarii, videlicet quod theoretice verum est, practice non semper verum esse, neque fieri

posse ut traditæ a Theologis regulæ serventur, profecto perniciosissimus error est. Si enim hoc sensu valeret, animæ non amplius ducerentur doctrinâ in Ecclesiâ probatâ, sed privato spiritu vel libidine potius Confessariorum, totque variæ praxes invenirentur, quot Confessarii numerantur. Deinde, praxis quid est aliud quam quarumdam regularum applicatio? Quomodo ergo Confessarius posset practicam habere Confessionum audiendarum artem, et non habere theoreticam scientiam, quæ in regularum cognitione consistit? Bona Sacramenti administrandi praxis aliud non est quam sanarum regularum recta applicatio.

CAPUT II.

PRUDENTIA CONFESSARII.

Necessaria est.

9. — Prudentia in quovis munere nihil aliud est quam bonus usus et justa applicatio principiorum vel regularum, quæ cuique professioni conveniunt; quare vocatur recta ratio agendorum. Quum porro munus Confessarii totum ad praxim spectet, difficile sit, ac summi momenti, in quo et sibi et aliis plurimum potest aut prodesse aut obesse, prout cum vel sine prudentiâ procedat, patet hanc virtutem non minus quam scientiam Confessario necessariam esse. Prudentia namque est auriga virtutum, bene consultans, recte judicans, efficaciter dirigens ad finem intentum. Sine prudentiâ Confessarius sæpe errabit, sibi et aliis oberit in iis rebus, in quibus præcipue ipsum prudentem esse oportet; quas recensuimus in Opere lib. VI n. 268 et 269.

Media acquirendi.

10. — Operæ pretium igitur erit ea indicare, quæ postulantur ut quis Confessarius prudens evadat; sunt nempe sex: scientia, circumspectio, rectitudo judicii, experientia, docilitas, et puritas intentionis. Requiritur 1° *Scientia*, quandoquidem prudentia decisiones suas et media opportuna mutuatur a scientiâ. 2° *Circumspectio*, ut Confessarius ponderet varias circumstantias tam casuum quam personarum. Una circumstantia satis est ad mutandum casum, e. g., ad actionem quamdam divellendam a ratione, quæ illam non

licere probat, et alteri subjiciendam principio, propter quod aliud ferendum est judicium, et vice versâ. Deinde, pro diversâ personarum conditione sæpe mutanda sunt consilia et media. 3° *Rectitudo judicii*, quâ casus concipiuntur quales sunt, necnon circumstantiæ perspiciuntur, quæ considerandæ sunt, atque casus resolvuntur secundum ea principia, quæ illis applicanda sunt. Eâ enim duce, negotium emendationis peccatorum eâ ex parte, quâ opus est, suscipit, ut ad felicem exitum perducat. Præterea efficiet ut Confessarius fallacibus passionis et vitii argumentationibus resistat, facile expediat consilia contra obices, qui adversantur, et incommoda, quæ oboriri possent, prævideat prævertatque. Rectitudo judicii insita est ab Auctore naturæ, ejus maturitas cum ætate acquiritur; attamen, quod eos attinet qui hanc dotem non large sortiti sunt, studio Theologiæ tum moralis tum pastoralis, ac consultatione sapientiorum, judicium acui potest. 4° *Experientia*, quæ maximum quidem adjumentum est, docet Confessarium ea, quæ in praxi ut plurimum accidunt; item quomodo interrogare debeat, quando pœnitentes monere aut in bonâ fide relinquere oporteat, quomodo in pœnitentium animos viam sibi faciat, quid vero illos alienare possit; docet occasiones, in quibus uti debeat indulgentiâ, et in quibus contrà nulla sit adhibenda; demonstrat judicium ferre de præsentibus pœnitentium dispositionibus, et ea invenire remedia, quæ illos ab iteratis lapsibus præservent. Praxis ergo optima schola est. 5° *Docilitas*, quæ junioribus præsertim Confessariis necessaria est; si namque sibiipsis diffidentes crebrò consulant doctos et expertos Confessarios, non erunt prudentes sine experientiâ, quandoquidem ex alienâ proficient. Verumtamen suiipsius diffidentia omnibus convenit; quamcumque enim experientiam adeptus fuerit Confessarius prudens, fieri nequit ut omnia expertus sit, omniaque possideat lumina quæ requiruntur. Quapropter Scriptura monet: »Ne innitaris prudentiæ tuæ," (1) et S. Thomas scripsit: »Nullus

(1) Prov. III. 5.

»in his, quæ subsunt prudentiæ, sibi quantum ad omnia »sufficit." (1) Idcirco Bened. XIV in Constit. *Apostolica.* 26 Junii 1749 *n.* 21. monet Confessarios ut, si aut difficilior aut nova quædam facti species ad ipsos deferatur, quæ peculiari examine digna sit, caveant ne divinando respondeant, sed opportuno tempore ac consilio primum adhibitis, rem expediant. Monet insuper ut eos Theologos consulant, quorum doctrina solidior est ac sanior. 6° *Puritas intentionis*, nimirum solum desiderium placendi Deo hominesque ad salutem æternam perducendi. Certum est christianam prudentiam eo majorem fore in Confessario, quo major est charitas ejus, et, generatim loquendo, mentem acui intentione vel cupiditate finis, atque hinc proficisci intelligentiam. Quo magis homo flagrat absentis boni desiderio, eo magis industrius est in excogitandis mediis illud assequendi, cautus ut eligat aptiora, solers ne quid prætermittat quod in rem suam convertere possit, generosus ut obvias superet difficultates et quod decrevit exsequatur. Confessarius igitur, qui simplici intentione quærit Deum et animas, cum fructu laborabit; contrà vero Spiritus Sanctus nos admonet: »Cor »ingrediens duas vias, non habebit successus; et pravus »corde in illis scandalizabitur." (2) Cor Confessarii ingreditur duas vias, cum duas habet oppositas intentiones, cum nempe vult placere Deo, et hominibus etiam mundum sectantibus non displicere; satisfacere officio, ac commodis suis studere.

Cum virtute cohabitat.

11. — Ex iis, quæ diximus sequitur vitia omnia adversari prudentiæ; quævis affectio prava judicium corrumpit; ideoque, ut quis in omni vitæ ratione sit prudens, nullum habere vitium et virtutes omnes debet possidere. Mirum proinde non est, si videmus subinde Confessarios virtute magis quam scientiâ præstantes, practico judicio præditos esse, multumque fructum in sacro ministerio referre. Hâc ratione prudentia recte vocatur animæ ex virtute operantis veluti oculus.

---

(1) 2. 2. qu. 49. art. 3. ad 3. — (2) Eccli. III. 28.

12. — Hisce præmonstratis, videamus quò spectet prudentia in Confessario. Quocirca paucis dicere possumus hanc virtutem in sacro tribunali Pœnitentiæ in eo esse ut Confessarius aptissima media eligat, horumque mediorum praxim injungat et urgeat, ad finem sui officii obtinendum. Finis ille est, non momentaneam dumtaxat, sed stabilem reconciliationem cum Deo pœnitentibus procurare. Quapropter, ut Confessarius intelligat quale debeat consilium præbere, et cujusmodi medicamentum adhibere, quo pœnitens a relapsu præservetur, necesse est ut more periti medici ante omnia inquirat causam spiritualium pœnitentis morborum, observando ejus inclinationes, an sit debilis, levis, inconstans in suis propositis, an vero malitiosus, induratus: indagando habitum malum, magis minusve radicatum, qui deprehenditur prudenter sciscitando tempus a quo pœnitens hanc vivendi viam tenet; demum explorando occasiones proximas, loca, personas, libros, etc. Consule Opus meum lib. VI. *n.* 274. *Partes ejus in Confessario.*

Confessario porro obligationem incumbere partes medici implendi, tradunt plura Concilia, (1) SS. Pontifices, (2) omnesque Theologi. (3) »Certe, ait auctor opusculi 65 (4), »cum videmus medicos corporum revolvere quotidie et le»gere libros physicales et medicinales corporum, in quibus »docentur curare corpora moritura: magna stultitia est non »legere libros sanctorum medicinales animarum, in quibus »docemur curare animas in æternum victuras." Et Confessarii inveniuntur, qui vix unquam aperiunt librum Theologiæ Moralis, inde utilia petituri remedia, quibus restituant et conservent animabus salutem, quæ tamen æternùm vel victuræ sunt vel morituræ! Nonnulli Confessarii, conqueritur S. Alphonsus, præter species et numerum peccatorum, nihil aliud inquirunt; et Ven. P. Segneri deplorat supinam negligentiam eorum Confessariorum, qui os nun-

(1) Lateran. IV. cap. 21. Trid. sess. 14. cap. 8.
(2) Bened. XIV. Constit. *Apostolica.* 26 Junii 1749. n. 19.
(3) Bened. XIV. loc. cit. n. 20.
(4) Opusc. 65. inter opera D. Thomæ.

quam aperiunt, nisi pœnitentiam imposituri, vel daturi absolutionem. (*n.* 6. Segneri. *Instruct. Confess. cap.* 6.)

CAPUT III.

VIRTUTES CONFESSARII.

Confessarius virtute polleat.

13. — Necesse est virtutem Confessarii tantam effici, quæ se etiam in alios abundanter possit effundere. Nutrix geminato indiget alimento, quo et seipsam sustentet, et simul lactandæ proli sufficiat. Ita se res habet in Confessario. Debet enim tot peccatorum ulcera tractare, quin seipsum deturpet; cum mulieribus et adolescentibus sæpe versari, eorum lapsus maxime pudendos in confessione auscultando, quin sibi aliquid damni evenisse sentiat; cum personis præclaris, abscisso omni respectu humano, fortitudine uti. Ad hæc omnia præstanda opus est bonitate non vulgari, quam ille nunquam assequetur, qui non est orationi ac quotidianæ meditationi deditus; sine hisce non obtinebit lucem et gratias huic tanto muneri, angelicis etiam humeris, ut dici solet, formidando, necessarias. (*n.* 1.)

Zelus.

14. — I. **Zelus animarum.** In hoc zelo virtutes Confessarii omnes continentur: est enim ille nihil aliud quam charitas ipsa erga Deum et proximum, qua saluti aliorum in Dei gloriam adlaborare satagimus. Confessarius ergo, qui non ex animo diligit Jesum Christum Redemptorem nostrum, nunquam vero zelo animatus erit. De hoc zelo S. Gregorius pronuntiavit: »Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, »quale est zelus animarum." (1) Quod S. Thomas sic explicat: »Sacrificium spiritualiter Deo offertur, cum aliquid »ei exhibetur. Inter omnia autem bona hominis, Deus »maxime acceptat bonum humanæ animæ, ut hoc sibi in »sacrificium offeratur. Offerre autem debet aliquis Deo »primò quidem animam suam, secundum illud Eccles. 30: »*Miserere animæ tuæ placens Deo.* Secundò autem animas

(1) In Ezechiel. lib. I. hom. 12. n. 30.

»aliorum, secundum illud Apoc. ult.: *Qui audit, dicat: Veni.* »Quanto autem homo animam suam vel alterius propin- »quius Deo conjungit, tanto est sacrificium Deo magis ac- »ceptum. Unde.... magis est meritorium, si quis offerat »Deo animam suam, et aliorum, quam quæcumque alia »exteriora dona." (1) Zelus porro pluribus sese commendat et manifestat specialibus virtutibus, quæ sunt: eximia puritas, charitas, patientia et mansuetudo, necnon fortitudo; de quibus jam egimus in Opere lib. VI. n. 270, hic autem iteratò quædam proferre juvabit.

15. — II. **Eximia puritas.** Hæc ideo maxime est necessaria, *Puritas.* ne Confessarius, dum alios sordibus mundat, ipse ex peccatorum auditione sordescat. »Quid enim prodest homini, »ait Dominus noster, si mundum universum lucretur, ani- »mæ vero suæ detrimentum patiatur?" Contra tres præcipue tentationes Confessarius se munire debet, nempe sensualitatis, impatientiæ, et timoris hominum; ad has enim tres species omnes fere tentationes, quas Confessarii plerumque pati solent, revocari possunt. Contra primam se armat purâ intentione, quâ nonnisi Dei gloriam animarumque salutem quærat; vitet omnem inordinatam, et nimiam cum mulieribus familiaritatem; testem semper habeat actionum verborumque suorum Deum, et utrumque Angelum Custodem, suum scil. et pœnitentis. Contra secundam valebit Dei et proximi amor; hic enim faciet ut omnes molestias prompte fortiterque suscipiat ac sustineat, et ut pœnitentes cum omni mansuetudine tractet. Contra tertiam optimum erit remedium, si timore Dei timorem humanum pellere conetur, ideoque illud sibi Christi monitum applicet: »Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam vero non »possunt occidere; sed potius timete eum, qui potest cor- »pus et animam mittere in gehennam." Demum contra omnes tentationes tutum præsidium est imploratio divini auxilii.

16. — III. **Charitas.** Hæc virtus præcipuum instrumentum *Charitas.*

(1) 2. 2. qu. 182. a. 2. ad 3.

est ad pœnitentium animos sibi devinciendos atque in Dei gratiam reducendos. Ut autem perfecta sit, omnes dimensiones habere debet, quas descripsit Apostolus ad Ephes. III. 18., latitudinis, longitudinis, altitudinis, ac profunditatis. *Latitudinis* quidem, ad amplectendos omnes, tam peccatores quam justos, pauperes æque ac divites, rudes æque ac bene institutos, viros perinde ac mulieres; *longitudinis*, tum per constantiam in molestiis, quas hoc munus plurimas continet, alacriter perferendis, tum per longanimitatem in ipsâ pœnitentium emendatione exspectandâ; *altitudinis*, conando omni modo eripere peccatores a gravissimo dæmonis jugo, et inferni tormentis perpetuò duraturis; *profunditatis* denique, accommodando se quorumcumque infirmitati, nullo edito signo nauseantis aut refugientis attrectare vulnera. »Considerate, ajebat Confessariis S. Franciscus Sale»sius, quod vos pœnitentes sub confessionis initium omnes »appellent patres; proinde exhibete illis cor paternum. »Suscipite eos cum pietate, nullum vobis afferant fastidium »mores agrestes, ignorantia, et tarditas, aliaque incom»moda; nunquam ipsis subtrahite auxilium, quamdiu spes »affulget emendationis." (1) Animæ sæpe sunt sordidæ, negari non potest, sed, quemadmodum margaritæ immersæ luto, non idcirco minus pretiosæ; nam per manus Confessarii lotæ in Sanguine Agni innocentis, et desponsatæ Deo, quondam accipient pro dote æternitatem, eruntque supra sidera augustissimæ reginæ. »Boni Confessarii, inquit S. »Alphonsus, quando ad se accedit aliquis miser peccator, »corde eum amplexantur, et exsultant *quasi victor captâ* »*prædâ*, perpendentes sibi sortem contigisse animam e ma»nibus dæmonis eripiendi. Sciunt hoc Sacramentum proprie »non pro justis fuisse institutum, sed pro peccatoribus.... »Sciunt Jesum Christum protestatum esse: *Non veni vo»care justos, sed peccatores.* (Marc. II. 17.) Propterea chari»tatis viscera induentes, quo magis animas peccatorum »cœno immersas reperiunt, eo majori charitate utuntur, ut

(1) Monita ad Confessarios. cap. I. art. I.

»Deo ipsas lucrifaciant." (*n.* 3.) Ab hâc comiter agendi ratione Confessarius nunquam recedat, sive ob atrocitatem delictorum, sive ob pœnitentium malitiam aut ruditatem. Unde, si quando inciderit in homines protervos et impudentes, graviter quidem, at amice simul moneat non ante hominem eos stare, sed coram Deo, cujus vices Confessarius gerit, Deum non impune irrideri, periclitari eorum salutem æternam, perennia et horrenda supplicia iis destinari, qui Sacramento Pœnitentiæ abutuntur, tantumque remedium a Deo institutum contemnunt.

17. — IV. **Fortitudo.** »Bona est misericordia, sed non debet »esse contra judicium," inquit S. Augustinus. (1) Fortitudo ergo efficiat ut Confessarius justitiam, quam sacro officio suo debet, non lædat; at simul benignitas et miseratio repellant omnem asperitatem et duritiem. Caveat ne ex timiditate aut respectu humano omittat quemlibet pœnitentem, quantum opus fuerit, interrogare, monere atque corripere, remedia salutifera ei præscribere, urgere obligationem restituendi, removendi occasiones proximas, atque indisposito absolutionem denegare, quin deterreatur claritate aut potentiâ personæ, quin curet injucunditates inde sibi forte imminentes, etiamsi indiscretus aut ignarus habeatur. Non raro accidit ut Confessarii hujusmodi infortuniis obnoxii sint. Præ oculis habeant sententiam Eccli. VII. 6: »Noli quæ»rere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, »ne forte extimescas faciem potentis." *Fortitudo.*

CAPUT IV.

VITIA CONFESSARIO VITANDA.

Præcipua sunt: incuria salutis animarum, vanitas, hominum timor, partium studium, imprudentia, rigor et laxitas, anxietas, demum animi abjectio.

---

(1) In Exod. qu. 88.

Incuria. 18. — I. **Incuria salutis animarum.** Hæc pluribus modis se manifestat: 1° Si Confessarius tempus quod confessionibus excipiendis impendet, *molestiæ* et *oneris* tempus æstimet, et non sine tædii significatione aures pœnitentibus præbeat. 2° Si pœnitentium multitudo eum impatientem reddat. 3° Si lubenti animo videat pœnitentes ad alios Confessarios confluere. 4° Si pœnitentes, quorum peccata multa sunt, urgeat ut se expediant; afflictos, qui angores ac tentationes suas exponere et ita animum levare velint, frigidis aliquot verbis admonitos quantocius dimittat. 5° Si scientiâ contentus, quam in scholis hausit, studium Theologiæ moralis deinceps fastidit. — De Confessariis zelo carentibus sic S. Alph. conqueritur: »Nonnulli audiunt solummodo »animas devotas, aut aliquas personas spectabiles, quas a »se repellere non audent; sed, si pauper peccator accedat, »ægre auditur, et in fine contumeliose dimittitur; unde fit »ut ille miser, qui sibi magnam vim intulit quò ad con»fitendum veniret, se tam aspere exceptum ac dimissum »videns, odium in Sacramentum concipiat, et amplius con»fiteri vereatur, sicque, desperans se posse invenire qui »sibi opituletur et se absolvat a peccatis, improbæ vitæ »ac desperationi sese tradat." (*n.* 3.)

Vanitas. 19. — II. **Vanitas, et proprii nominis existimatio.** Inter vitia in munere Confessarii evitanda merito numeratur vana gloria, quâ Confessarius gloriatur sive in multitudine sibi confitentium, sive in nobilitate suorum pœnitentium. Confessarius vanus solet pauperes ac plebeios a se avertere, sed divites, matronas præsertim et domicellas, omni modo ad se allicere. Exinde nascetur 1° divitibus blandiendi proclivitas, quâ vitiis eorum connivebit, excogitabit vel amplectetur commodiores opiniones, quæ erunt eis tamquam pulvilli molles, conscientiam eorum sopientes. 2° Donorum recipiendorum cupido, de quibus Scriptura pronuntiat: »Non »accipies .... munera, quia munera excæcant oculos sa»pientum, et mutant verba justorum." (Deut. XVI. 19.) Ex præfato vitio proficiscuntur insuper sollicitudines, quibus vani Confessarii ad tribunal suum plurimos conantur

pœnitentes pertrahere; zelotypia, quâ contendunt soli pœnitentium fiduciâ frui, et ægre ferunt si pœnitentes alium adeunt Confessarium, imo monent eos ne id faciant; invidia, cum aliorum confessionalia pœnitentium catervâ aut optato pœnitentium genere stipata vident; licentia censoriâ notâ perstringendi aliorum Confessariorum Confessiones excipiendi modum, ut illis abrogent auctoritatem; inanis oblectatio, quâ perfruuntur, cum pœnitens ipsis aperire non abnuit, quod aliis non audet. Hâc de re scripsit S. Augustinus: »Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas »velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Chris»tum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupidi»tate." (1)

Respectus humanus.

20. — III. **Respectus humanus.** Huic vitio potissimum succumbunt, qui audiunt Confessiones potentium et nobilium, eorumque, a quibus aut dependent, aut beneficium aliquod acceperunt vel sperant. Efficit ut Confessarius ex metu offendendi pœnitentem non audeat ita cum eo agere, ut regulæ sacri tribunalis poscunt. Veretur scilicet eum de delicto, cujus se accusat, uberius et quantum necesse est interrogare; veretur postulare et exigere ut deserat occasionem proximam peccati; veretur eum commonere de statûs et dignitatis suæ obligationibus; atque forte absolutionem sacramentalem, ubi opus sit, non audet differre aut negare. Benedictus XIV Constit. *Apostolica.* 26 Junii 1749. *n.* 20. laudat doctrinam Cardinalis de Lugo, qui carpit eos Magnatum et Magistratuum desides Confessarios, »qui, »licet in sacro Pœnitentiæ foro nullam de publicis crimi»nibus accusationem accipiant, taciti quiescunt, nullâque »hortatione præmissâ, præcipiti judicio absolutionis bene»ficium dispensant." De hujusmodi Confessario Lugo pronuntiat: »Potius imponit suis humeris peccata cætera et »errores, quos in pœnitente dissimulat, et cæco cæcum »ducente, ambo in æternam foveam cadent. Si formidat ergo »potentis faciem, non assumat sibi Pastoris officium; sed

(1) Tract. 23 in Jean. n. 5.

»modeste se excuset tamquam minus aptum ad illud onus »portandum." Confessarius sibi dicta reputet verba Scripturæ: »Non consideres personam pauperis, nec honores »vultum potentis." (Levit. XIX. 15.) Quapropter non vereatur pœnitenti utut conspicuo, ubi conscientiæ ejus status id poposcerit, turpitudinem vitæ corruptæ ob oculos ponere; attamen, ut opportune advertit S. Alph.: »Cum hu»jusmodi pœnitentibus adhiberi debent correctiones verbis »lenioribus et discretioribus, sed majori animi fortitudine »et calore, cum ex istorum peccatis, propter gravius dam»num, quod eorum malo exemplo aliis afferri potest, per»niciosior flagitiorum consequi possit licentia." (H. A. *tr.* 21. *n.* 4.)

Acceptio personarum.

21. — IV. **Acceptio personarum.** Illam manifestat Confessarius, cum non æquali promptitudine et ægrotos et sanos audire solet; cum divites præ pauperibus, juniores præ senibus, fœminas præ viris in suam curam adoptat. Sacerdos, qui veram erga Deum et proximum charitatem concepit, ad exemplum S. Pauli omnibus omnia se facit, atque adeo ad confessiones hominum rusticorum, rudium, ac simplicium excipiendas æque paratum se exhibebit, ac pro personarum nobilium et honoratiorum confessionibus excipiendis; quinimo illos præ hisce optabit et fovebit, eo quod in illorum confessionibus audiendis major quidem labor, sed minus periculum reperiatur, minor quidem humana gloria, sed majus Dei placitum, copiosior animarum fructus, amplius meritum, ob puriorem intentionem et generosiorem sui victoriam, obtineatur, ipseque Confessarius Christum perfectius imitetur. Nihilominus, quando, non acceptio personarum, sed ordo charitatis vel necessaria prudentia prælationem suadet, licebit sane alios præ aliis curare, vel alios aliis præmittere.

Inconsiderantia.

22. — V. **Inconsiderantia.** In hanc noxam Confessarius incurrit, 1° qui, nullâ impellente necessitate, se immiscet variis familiæ negotiis, ibique omnia ad mentem suam ordinare cupit; speciatim, qui rebus matrimonialibus se immiscet, quoad personam eligendam, pactum nuptiale

stipulandum, etc.; hâc ratione dissensionibus aliisque injucunditatibus ansam præbebit. 2° Si pœnitentium suorum querelis de aliis facile consentit, querelis præsertim conjugum de consorte suo, vel filiorum de parentibus. 3° Qui nimiâ familiaritate erga pœnitentes alterius sexûs utitur, sensibili et periculoso amori indulget; unde fit ut auctoritati suæ detrahat et pœnitenti noceat, præterquam quod talis amor non raro in sensualem degeneret. 4° Qui non concedit pœnitentibus suis plenam libertatem confitendi apud alios Confessarios: ex quâ perniciosâ agendi ratione quot sacrilegia proveniunt!

Laxitas et rigor.

23. — VI. **Laxitas et rigor.** Rigor hominis fragilitatem non attendit, efficitque ut homines Sacramenti usum horreant, et peccatores in desperationem acti omne vitæ melioris consilium dimittant. Laxitas, quæ hodie frequentior est, omni modo humanæ naturæ patrocinatur, legemque moralem plus justo emollit. Confessarii laxi, commoditatis suæ amantes, hominibusque placere ambientes, undique conquirunt commodiores opiniones, sufficitque illis oppositas sententias non esse stricte certas neque a Sede Apostolicâ rejectas; obligationem incertam dicunt adeoque nullam, si modo quosdam Auctores reperiant de illâ dubitantes, etiamsi plurimi sint qui obligationem affirment; et nihilominus præfati contendunt se viam mediam sectari, se ad mentem S. Alphonsi sentire, cujus doctrina certo certius ab hujusmodi laxitatibus abhorret. Sacramentum Pœnitentiæ maxima levitate et celeritate ministrant; dummodo conscientias purgaverint, ut ajunt, de vitæ emendatione non curant. Nimiam facilitatem eorum in absolvendis occasionariis et recidivis sic S. Alphonsus describit: »Lugen»dum est quod major, ne dicam maxima, pars Confessa»riorum passim absolvunt recidivos, sine distinctione, sine »signo extraordinario, sine admonitione, et sine aliquo »saltem præstito remedio ad emendationem; et hinc revera »provenit tot animarum ruina." (*n.* 77.) Et quare? Quia, ut docet Instructio S. C. de Prop. Fide anni 1827: »Ex »magnâ absolvendi facilitate magna peccandi facilitas oriri

»*necessario* debet." (1) Vere aurea est regula, quam tradit S. Gregorius: »Regat disciplinæ vigor mansuetudinem, et »mansuetudo ornet vigorem, et sic alterum commendetur »ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo disso»luta." (2) Sequendo moderatam S. Alphonsi doctrinam, Confessarius utrumque scopulum vitabit.

Anxietas. 24. — VII. **Anxietas.** Nimius difficultatum et periculorum sancti tribunalis metus sæpenumero pios Confessarios in anxietatem conjicit, eosque ab audiendis confessionibus retrahit; sed plane immerito. Confessarius, qui tutam sequitur doctrinam, qualis procul dubio est doctrina S. Alphonsi, et qui bonâ ducitur intentione, plenâ debet in Deum niti fiduciâ; Deus enim vocando illum ad hoc ministerium sese obligavit ad dandas gratias et subsidia, quibus munus suum, quamvis arduum et periculosum, digne et fructuose impleturus sit. »Qui mihi oneris est auctor, »ait S. Leo, ipse est administrationis adjutor...; dabit vir»tutem, qui contulit dignitatem." (3) Quodsi subinde contingat illi errare aut tentari, non turbetur, hominem se, non angelum, esse agnoscens; quis est Confessarius quantumvis doctus aut sanctus, cui hæc non contigerint? Audiat insuper S. Alphonsum, qui Patri cuidam Congregationis suæ hâc de re conquerenti sic respondit: »Ad »pedes Jesu Christi provolutus dic illi: *Domine, volo fa»cere quod tibi placet, non quod mihi arridet.* Et Jesus Christus »tibi respondebit: *Placet mihi ut facias voluntatem Superio»rum tuorum; qui vos audit, me audit.* Hoc ministerium, dicis, »scrupulos mihi gignit. Sed, charissime, quem Confessarium »invenies timoratæ conscientiæ, qui confessiones audiat sine »scrupulo? Si quid valerent, quæ scribis, nullus amplius »confessiones excipere deberet. Regula est, quod post con»fessiones auditas haud amplius cogitandum sit de gestis. »Sufficit abfuisse deliberatam voluntatem committendi er-

(1) Collectanea S. Sedis. n. 497.
(2) Moral. lib. 19. cap. 20. n. 30.
(3) Sermo II.

»rorem; dico *deliberatam*... Quomodo Deus damnare posset »quempiam, qui ipsi placere studet?" (1)

25. — VIII. **Abjectio animi.** Non raro contingit hodie, in locis præcipue ubi fides elanguit, ut Confessarius videat exiguum ac tardum profectum illorum, in quibus continue fatigatur; videt enim paucos eorum proficere; videt multos post pœnitentiam facile relabi, et, propter difficultates et obstacula profectum spiritualem impedientia, quasi in desperationem tendere fructum laboris sui. Pronum est inde ut Confessarium tædeat laboris, utque animum despondeat. Contra hunc scopulum præmuniendi sunt boni illi operarii in vineâ Domini, qui laborant ex vero zelo salvandi animas. Audiant igitur quomodo S. Bernardus eos soletur eisque animos addat: »Noli diffidere, curam exegeris, non cura»tionem. Denique audisti: Curam illius habe, (2) et non: »Cura, vel sana illum." (3) Et S. Bonaventura: »Animare »debet rectorem ad laboris tolerantiam, quod non minus »meretur in illis qui deficiunt, vel modicum proficiunt, »quam in his qui maxime proficiunt. Non enim dicit »Apostolus: *Unusquisque propriam mercedem accipiet* secun»dum suum profectum, sed *secundum suum laborem.* Dei »enim est incrementum dare. (4) Plus enim laborat doctor »in indocili, quam in docili discipulo; et ideo apud jus»tum æstimatorem laboris plus meretur. In terrâ sterili »et saxosâ agricola plus laborat, et, si fructus paucior, »sed pretium majus. Et quæ difficilius elaborantur, sæpe »carius venduntur." (5)

Abjectio animi.

---

(1) Epist. 743. Corresp. gen. — (2) Luc. X. 35. — (3) Lib. 4. de consid. ad Eug. — (4) I Cor. III. 6—8. — (5) Opusc. de sex alis. cap. 5.

PARS SECUNDA.

De praxi generatim servandâ in confessionibus.

Confessarius tanquam *pater* debet benigne tractare pœnitentes. Tamquam *judex* debet, ubi opus est, pœnitentes interrogare, eis injungere satisfactionem, impertiri aut differre absolutionem. Tamquam *medicus* debet curare pœnitentis ignorantiam, ac duritiam cordis, remedia ei suggerere contra peccata, eumque opportune exhortari. Praxim horum in sequentibus capitibus exponemus. Postremo addam quædam observanda in actu confessionis.

CAPUT I.

OFFICIUM PATRIS.

Benigna agendi ratio.

26. — Ut boni patris partes adimpleat, debet Confessarius cum alacritate adire confessionale, cum magnâ benevolentiâ excipere omnes, ac deinde charitatem longe majorem ostendere in confessione audiendâ. Ea, quæ Confessario ex officio patris incumbunt, passim pro re natâ exponemus. Hoc loco dumtaxat notamus quod si Confessarius advertat pœnitentem non prout oportuit conscientiam suam examinasse, caveat ne homines rudes aut salutis negligentes sine absolutione dimittat, ut melius sese examinent; sed juvet eos interrogationibus, percurrendo materias, in quibus fere labuntur ejusmodi homines; plerique enim non sunt capaces, prout par est, se examinandi, et exterriti difficultate, reverti non solent, imo periculum erit ut a confessione retrahantur et in peccatis obdurescant. Pejor esset error Confessarii, si propterea aliquem dimitteret, qui antea ex pudore peccata reticuit, quamvis repetendæ essent confessiones multorum annorum; tunc enim majus periculum sub-

est ne non redeat et pereat. (*n.* 20.) Caveat quoque ne impatientiam, tædium, aut stuporem ostendat de peccatis quæ narrantur, ne forte exterriti pœnitentes peccata reticeant. (*n.* 4.)

CAPUT II.

OFFICIUM JUDICIS.

Articulus I.

PRAXIS INTERROGANDI PŒNITENTES.

Trademus 1° regulas quasdam generales; 2° quæstiones faciendas rudibus; 3° personis diversæ conditionis conscientiam parum meticulosam habentibus.

§ I. Regulæ generales.

Necessitas interrogandi.

27. — Pœnitentis imprimis interest ut peccata sua integre fateatur; quia in tribunali Pœnitentiæ absolvitur qui crimen fatetur, damnatur qui tacet; unde ad officium Confessarii potius spectat pœnitentem audire quam interrogare. Nihilominus Confessarii interest efficere ne quid desit Sacramento, quod administrat, et charitas jubet omne sacrilegium pro viribus impedire. Idcirco, si Confessarius animadvertat pœnitentem non sufficienter explicare peccata sua, sive ob ignorantiam, sive ob verecundiam, sive ob exiguam examinis, doloris ac propositi præmissam dispositionem, non est dubitandum quin teneatur eum interrogare. (*n.* 19.) Jam aliqua notavimus in Opere lib. VI. n. 277. circa examen pœnitentis; hoc loco plura adjicere conducet.

28. — Quær. 1° *Quid generatim quærendum sit a pœnitente?*

Quæstiones generales.

Resp. Quæstiones aliæ generales sunt, aliæ speciales. Quod primas attinet, 1° initio confessionis, si pœnitens sponte non dicat, rogandum est quando ultimò sit con-

fessus; hæc enim quæstio multum juvare potest ad peccatorum numerum melius percipiendum, ad sciendum utrum pœnitens sæpe an raro ad Sacramenta accedere soleat, utrum majori minorive curâ indigeat, et sic quoque Confessariorum praxis habet. Aliquando etiam conducet quærere an in priori confessione satisfecerit suæ conscientiæ. Contra, generatim non expedit statim interrogare sub initium cujus statûs sit pœnitens, sed præstat id rogare ubi occasio, ratione alicujus peccati, sese offeret. 2° In ipsâ confessione, si pœnitens sponte non incipiat, Confessarius benigne interroget quid mali ab ultimâ Confessione admiserit, sinatque pœnitentem exponere quæ ei occurrunt; confitentem non interpellet, nisi opus sit aliquid melius intelligere. Deinde, si res postulabit, rogari potest an cogitationes inhonestas vel importunas tentationes patiatur; an nihil possideat quod ad alium pertinere existimet; an bene cum conjuge conveniat, aut similia. 3° Post confessionem rogetur an nihil amplius conscientiam gravet. A rudibus insuper, qui raro confitentur, quærendum est an doleant ex animo de peccatis, et an habeant propositum serium vitandi peccata.

Quæstiones speciales.

Ad speciales quæstiones quod attinet, aliæ versantur circa objectum, aliæ circa circumstantias, aliæ circa numerum peccatorum. Quoad *objectum*, suadendum est ut Confessarius sibi quæstiones juxta ordinem præceptorum pro variis statibus componat, et memoriæ mandet, ut suo tempore in promptu habere possit. Deinde, num pœnitens alia præter ea, quæ in confessione expressit, peccata probabiliter commiserit, Confessarius conjicere potest tum ex pœnitentis vitæ statu, professione, vivendi ratione; tum ex peccatorum inter se connexione, nam quædam peccata aliorum vel initia sunt, vel irritamenta, vel comites e. g. impudicæ cogitationes, desideria, tactus, initia sunt actuum perfectorum; ebrietas excitat rixas, blasphemias, libidinem; lusum in popina comitari solet immodica potatio. Præterea, ubi suspicio subest, Confessarius inquirat de conscientiâ erroneâ, quâ rudes non raro laborant, et confitentur actio-

nes quasdam, ita ut ex modo exprimendi videantur gravia peccata commisisse, sed interrogando apparet actiones fuisse involuntarias. Denique, nolit Confessarius, ut certum judicium formet de peccati gravitate, exquirere a rudibus utrum mortale esse existiment an veniale; hi enim respondent quod fortuitò in ore venit; idque experientia docet (»ut ego, »inquit S. Alph. millies observavi"), nam, si Confessarius paulo post iterat quæstionem, respondent omnino contrarium. (*n.* 20.) — Circa *circumstantias* observare debet Confessarius ut non nisi necessarias exprimere jubeat. Non facile interroget circumstantias illas, quæ communiter non occurrunt et pœnitentem rubore afficiunt, e. g. confitentem incestum non roget in quo gradu fuerit; quia raro est in primo gradu, et in aliis gradibus probabiliter specie non differt. Neque exquirat species peccatorum minutiores, quæ a pœnitentibus dignosci non solent. — Quod spectat ad *numerum* peccatorum, si peccatis mortalibus pœnitens numerum non addat, Confessarius eum inquirat, et proderit pœnitentem suaviter monere ut deinceps in peccatis, quæ gravia ipsi videbuntur, numerum addat, aut certe, si consuetudinem peccandi habet, dicat quoties per mensem aut hebdomadam peccatum aliquod commiserit. Circa peccata *interna* habituatorum, v. g. odii, luxuriæ, sufficit plerumque indagare majorem minoremve frequentiam, puta an sæpe per diem vel hebdomadam; quia plerumque eorum numerus exactius explicari non potest absque periculo errandi sive per excessum sive per defectum. Pariter, si quis confitetur multa desideria erga quaslibet fœminas obvias, satis exprimitur numerus dicendo se modo nuptas modo innuptas concupiisse. Denique in confessionibus habituatorum, quando Confessarius ipse numerum suggerit, eum proponat, qui verosimilius major est, ut pœnitentes habeant potius quod detrahant, vel certe nonnisi modicum adjiciant; et si majori numero adhæreant, expedit denuo proponere majorem. (*n.* 20.)

Adhæc, ubi opus est, debet Confessarius inquirere de *dispositione* pœnitentis ad absolutionem, v. g. an velit im-

plere conditiones ad eam obtinendam requisitas, puta restituere, occasionem proximam removere, etc. A recidivo sciscitetur per quantum tempus post ultimam Confessionem a peccato abstinuerit; an tentationi restiterit; aliter enim judicandum est de eo, qui vim sibi inferendo a peccato abstinuit, quam de alio, qui abstinuit ob defectum occasionis vel gravioris tentationis, vel propter proximum Pascha.

Modus interrogandi.

29. — Quær. 2° *Quomodo sit interrogandum?*

Resp. Ut Confessarius debitum modum servet, interroget 1° *Parce*, id est, de iis tantum, quorum scientia sibi necessaria est; præsertim abstineat ab omnibus ad confessionem non pertinentibus; præ oculis habeat, viris, honestioribus præcipue, ingratum esse, si Confessarius multa rogitet. 2° *Dilucide*, secundum captum pœnitentium, ita ut quæstiones accurate intelligant, iisque recte ac breviter respondere valeant; quapropter quæstiones ordinarie non sint generales, sed concretæ, non longæ et accumulatæ, sed breves et simplices. Interdum, ubi pœnitentes valde rudes sunt, quæstiones mutatis terminis sunt iterandæ. 3° *Ordinatim;* a peccatorum initiis ad consummata, a levioribus ad graviora in eâdem materiâ, ab ordinariis ad extraordinaria plerumque procedendum est; prius de consensu præstito quam de specie et numero interrogetur. 4° *Opportune;* unde caveat Confessarius ne importune urgeat pœnitentem vel ad responsionem dandam, vel ad numerum certum exprimendum, vel ad confessionem celerius absolvendam. Hinc, si pœnitens aliquid explicare voluerit Confessario, non abscindat sermonem, (nisi inutiles et impertinentes historias narraret), sed spatium ei concedat miserias suas scrupulosque proponendi; idque maxime observandum est, si pœnitens rarius confiteretur, aut procul venisset, aut confessionem generalem faceret, tunc enim omni cum affectu charitatis excipiendus est, curandumque ut illius conscientiæ plene satisfiat. 5° *Mansuete*, ita ut ex ipso interrogandi modo pœnitens colligere possit Confessarium affectu vere paterno cum ipso agere; eo pacto Con-

fessarius fiduciam adeo sibi necessariam comparat, efficitque ut pœnitens omnia sua peccata sincere detegat. Itaque ab omni verbo acerbiore abstineat, imo etiam ab omni increpatione, antequam confessio absoluta est; nullum quoque signum displicentiæ aut admirationis præbendum est. Præterea, mire conducit ad pœnitentis animum conciliandum (maxime si simplicior et rudior sit), si sub initium confessionis blando nomine eum Confessarius alloquatur, dicendo verbi gratiâ: *Age, dic, bone vir, bone juvenis, amice, filia, quando ultimò confessus es? et quibus Deum peccatis offendisti?* Tales enim quæstiones præambulæ miros animos addunt pœnitenti, qui secus, si Confessarius ignotus nihil dicat usque ad finem confessionis, eum hominem severum esse suspicari posset, et minus fidenter ei peccata sua exponeret. Tum præcipue Confessarius suavem et lenem se præbeat, cum pœnitens peccatum reticuit, quod Confessarius prudenter interjectis interrogationibus elicuit; S. Franciscus Salesius ejusmodi pœnitentes sic alloqui solebat: »Crede mihi, Deus magnam tibi gratiam parat: video quo»modo Spiritus Sanctus cor tuum tangat, ut bene confi»tearis; eja ergo, fili mi, animose fatere peccata tua: »magnum te nunc manebit gaudium, postmodum magnum »solatium in mortis agone, quod humilem hanc feceris »confessionem." (1)

30. — Quær. 3° *Quæ speciatim notanda sint de modo interrogandi in materiâ sexti præcepti?* *In materia turpi.*

Resp. Interrogationes de hâc materiâ præcipuam attentionem merentur; tum quia peccata impuritatis communiora sunt; tum quia quæstiones de illis magnam circumspectionem postulant; tum quia pœnitentes ægre se de iisdem accusant, et, nisi opem ferat Confessarius, plurimi non satis explicant peccata sua, atque in sordibus suis putrescunt. Propterea prudentiâ opus est Confessario, ut eliciat quæ pœnitentes forte reticuerint, et ne pœni-

(1) Monita ad Confessarios. cap. I. art. 2. § 7.

tentes, juniores præsertim, ex ore Confessarii ea discant, quæ feliciter ignorabant. Hunc in finem Confessarius eas, quæ sequuntur, regulas servet: 1° Devitet omnem curiositatem et redundantiam. Idcirco, quando timet ne pœnitens ex angore conscientiæ existimet se non integre confessum esse, eo quod omnes circumstantias non expresserit, consultum est in fine confessionis ipsi dicere: *Peccata tua omnia satis superque intellexi; igitur ne sis anxius de modo quo peccata commisisti.* Pariter, si ipse pœnitens ex ignorantiâ vel anxietate vellet modum explicare, moneat eum id necessarium non esse. E converso, ubi interrogare oportet, potest Confessarius quandoque pœnitentem præmonere de necessitate interrogationis ad speciem peccati cognoscendam, deinde eum de sua sinceritate laudare. 2° Utatur terminis, quoad fieri potest, honestioribus; dum loquitur de virtute castimoniæ, appellet eam virtutem angelicam, sanctam puritatem, ut ejus æstimationem et amorem et ipse conservet et pœnitenti inspiret. Si pœnitens nimis crasse vel inverecunde exprimat quædam, doceatur ea honestius eloqui, ita tamen ut species exprimatur. 3° Caute procedat, præcipue cum pueris, adolescentibus, et fœminis.

Quamdiu dubium est num pœnitens contra puritatem deliquerit, Confessarius utatur terminis generalibus et late patentibus, ita ut, si pœnitens reus sit, intelligat, sin minus, nil novi nec periculosi discat. Confessarius ordinarie incipiat a levioribus peccatis et sensim ad graviora transeat, scilicet a cogitationibus, desideriis, verbis auditis aut prolatis; ab hisce, si necesse fuerit, transibit ad actiones. Si pœnitens negat cogitationes aut iis restitit, non interrogetur de operibus; si peccata interna fassus est, interrogetur de colloquiis, aspectibus, tactibus; si hæc fatetur, adultus interrogetur an forte opus aliquod pejus patrarit, vel saltem concupierit, aut patrare voluisset, nisi pudor aut metus retraxisset: sunt enim rudes, qui, nisi ita interrogentur, taceant, rati sat esse quod aliquid insinuando Confessario occasionem dederint interrogandi. Ab hoc interrogandi ordine Confessarius nonnunquam recedere debet,

nimirum si pœnitens jam dixit se magna peccata contra castitatem commisisse, vel si est admodum rudis; rudes enim sæpe non apprehendunt delectationes morosas et desideria velut peccata, saltem nisi voluerint progredi ad opera; et idem est de turpiloquiis, quæ jocos vocant; igitur ejusmodi pœnitentes ordinarie examinandi sunt primum de operibus, deinde de colloquiis, demum de peccatis internis. Adhæc, Confessarius nonnunquam experietur eos, qui de solis cogitationibus se accusarunt, reos esse colloquiorum et actionum turpium; sive quia cogitationes ab actionibus vix discernunt, creduntque se actiones quoque confiteri, dum de pravis cogitationibus se accusant, sive quia Confessario occasionem præbere voluerunt ipsos de actionibus interrogandi, de quibus se accusare non audent, nisi a Confessario adjuventur.

Pericula imprudentiæ.

Tandem non abs re erit scandala exponere, quæ ex imprudenti aut indecenti interrogandi modo oriri possunt: nimirum inest illi 1° periculum *offendendi* pœnitentem, qui forsan ab his rebus abhorret, vel, etsi peccata hujusmodi committat, honestioribus tamen verbis est assuetus, et cum admiratione ac offensâ verba indecora audit ex ore Sacerdotis. 2° Periculum *docendi* ignorantem ea, quæ expedit ignorare, quæque occasionem dabunt recogitandi et investigandi apud alios quid audita significent; inde forsan peccata multa provenient. Curiositatem nil magis acuit quam interrogatio non intellecta in istâ materiâ. 3° Periculum *tentationis* excitandæ tum in pœnitente tum in ipso Confessario, sed præsertim in pœnitentibus huic vitio deditis et in personis alterius sexûs. 4° Periculum *male suspicandi de Confessario* et *traducendi Confessionem*; sunt enim pœnitentes, qui temere et non sine aliquâ malitiâ narrent dicta et interrogata a Confessario. Quare nunquam verbo aliquo est utendum aut interrogatio facienda, de quibus coram Superiore hâc de re investigante Confessarius erubesceret. — Decentia porro *relativa* esse poterit secundum conditionem pœnitentium; cum rudibus namque, qui tarde intelligunt nec cito moventur, minus delicate procedi potest,

at nunquam non decentibus verbis: sed excessus quoque vitandus est, scilicet non nimis exquisitis verbis utatur, neque mysticis hæsitationibus attentionem suscitet.

31. — Quær. 4° *Quid observandum sit cum illis, qui peccata sua reticent?*

Reticentia peccatorum frequens est.

Resp. Ante omnia, ne credat Confessarius casum rarum esse quod pœnitentes peccata sua ex rubore reticeant aut eorumdem numerum diminuant, sicque Confessiones sacrilegas peragant; casus iste nimis frequens est; satis sit aliquot testimonia proferre omni exceptione majora. S. Alphonsus scripsit: »Fructus præcipuus Missionum, ruri »præsertim, ubi pauci sunt Confessarii, est reparatio mul»tarum Confessionum sacrilegarum aut invalidarum, quæ »proveniunt ex magnâ formidine, qua pœnitentes perstrin»guntur, manifestandi miserias suas Confessario cui noti »sunt, quemque quotidie vident." (1) Venerabilis P. Segneri exclamat: »O quot Confessiones judicantur validæ, nec »tamen in veritate sunt!" (2) S. Leonardus a Portu Mauritio sic loquitur: »Multi muti loquuntur in Confessione, »sed non uti oportet loquuntur, ita ut, licet loquantur, »tamen muti permaneant... Muti sunt propter ea, quæ »negant aut reticent." (3)

Industriâ erga illam utendum est.

Porro, quod responsum ad quæstionem attinet, audiamus hâc de re celebrem Missionarium e Societate Jesu, Venerabilem Paulum Segneri. Loquendo de iis, qui non audiunt interna conscientiæ monita, quibus ad veritatem revelandam stimulantur, quosque *mutos et surdos* vocat, hæc habet: »Dici non potest quantum apud hos valeat »periti Confessarii industria. Certum est, præcipuum Mis»sionum lucrum et operæ pretium reportari ex isto homi»num genere: quamquam hi fructus nobilissimi, instar »metalli sub terrâ, procul ab hominum oculis remoti, »æterno lateant Sacramenti sigillo occlusi. Frequenter ac»cidit ut animæ nonnullæ ex Orci faucibus extrahantur,

(1) Silva. part. 3. cap. 10. — (2) Instruct. pœnit. cap. 16. — (3) Serm. 16. de Confess. punct. 1.

»in quibus multos jam annos hærebant demersi, nullâ spe »inde unquam evadendi." Ad praxim accedendo, pergit, oportet Confessarium adhibere illam industriam, quâ parvo foramine, i. e. leviori aliquâ culpâ sponte a peccatore apertâ, laxiorem reddat accessum ad cor, pandatque sibi ostium, per quod penetrans lustrare possit quidquid pravitatum ibi latet absconditum. Rem exemplo elucidat: »Quando ad te »venit confessionis gratia juvenis aliquis, accusans se quod »tractaverit amores, liberiores miscuerit sermones, oculis »concesserit licentiam evagandi, itaque de reliquo nihil super- »addit. Auditis istis, oportet dextre a verbis et aspectibus »progredi, et elicere cogitationes obscœnas, ex his proce- »dere ad consensum, hinc ad opera impura, secummetipso »an cum aliis perpetrata, inchoata vel completa. Verum ad »hoc ipsum exsequendum opus est prudentiâ, ne erretur. »Hic enim exprimendum est pus ex ulcere, illic cavendum »ne pars sana ac integra inficiatur, et malitia hactenus in- »cognita doceatur. Ne dubites, lumen cœleste, quod im- »plorare debes, et experientia, quæ semper augetur exercitio, »tibi per binos hosce scopulos viam monstrabunt. Disces »hinc e longinquo tentare aditum, et sensim scopum attin- »gere. Suggerent illa tibi verba modosque generatim inter- »rogandi, quæ a quibusdam citius, tardius ab aliis percipien- »tur, prout quisque vitio assuetus vixit. Docebunt te etiam »quâ ratione interdum monstrando te negantis responsa non »percepisse, obtineas confessionem facti. Accidit aliquando »ut juvenis quidam libere negaret peccatum mollitiei, postea »vero rogatus quoties deliquisset, et a quot annis hoc vitio »esset irretitus, an non semper in confessionibus illud reti- »cuisset, candide veritatem ediceret, sibique sineret virus e »visceribus extrahi, quod suâ sponte non poterat evomere... »Vix credi potest quantum conducat ipsas quoque formare »quæstiones ad eum modum, ut respondenti plura necesse »non sit dicere, si fieri possit, quam: *Ita*, *Pater*. *Non*, *Pater*. »Quanto solatio fuit mulieri Samaritanæ, quando licuit ipsi pro- »fiteri: *Hominem inveni, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci?*(1)

(1) Joan. IV. 29.

»Si ab eâ postulatum fuisset ut ultro turpissima sua proderet »flagitia, Deus scit an unquam eò se adduci passa fuisset. »Ubi illa a Christo tantâ suavitate detegi sensit, facillimum »erat confiteri, nullâ aliâ molestiâ quam respondendo tan- »tummodo: *Propheta es tu.* Porro in hoc genere confes- »sionum, antequam finiantur, nullum signum ede ex quo »tibi supra modum gravia videri peccata sua colligant »pœnitentes; imo dic illis te longe enormiora audivisse, »neque ipsos primos esse qui talia afferant aut perpetra- »rint... Admone illos gaudii, quod in cœlo oritur ex con- »versione unius peccatoris, et quantâ cum tranquillitate »sint reversuri domum, benedicentes diei millies, quâ con- »scientias tanto allevarunt onere." *(Instruct. Conf. cap. 2.)*

Causæ reticentiæ.

32. — Quær. 5° *Quænam sint præcipuæ causæ, quæ impellant pœnitentes ad peccata sua reticenda in confessione?*

Resp. Tres sunt præcipuæ, videlicet: 1° Verecundia ad revelanda quædam peccata, hæc tria præsertim: impuritatem, sacrilegas Confessiones et Communiones, imprimis si per longum tempus patratæ fuerint, et injustitiam. Pudorem hunc multum auget timiditas naturalis, in puellis maxime. 2° Timor amittendæ famæ apud Confessarium pernotum. 3° Timor objurgationis, aut negationis absolutionis. Timor increpationis provenire potest ex severitate, asperitate, impatientiâ Confessarii, os occludente pœnitentium. Peccatorum reticentia ad absolutionis repulsam evitandam, oritur ex malitiâ pœnitentis, volentis decipere Confessarium, ut absolutionem captet; quapropter, ubi Confessarius ejusmodi malitiam detegit, ordinarie debet absolutionem differre, ad aliam diem aut saltem ad aliam horam.

Remedia contra illam.

Remedia generalia contra reticentiam in Confessione sunt: pœnitentes benevole et cordialiter excipere, eis ostendere nullitatem ac sacrilegium Confessionis cum reticentiâ, malitiam et invidiam diaboli, qui verecundiam excitat ac reticentiam suadet, ut peccatores præclaro fructu hujus Sacramenti defraudet. Remedia specialia hæc sunt: 1° Ad obviandum verecundiæ, juvat Confessarium dicere pœnitenti se multo fœdiora et graviora audivisse; dicere pœnitenti

ignoto se eum non cognoscere ; ea , quæ pœnitens timide et anxie exponit , aptis verbis extenuare; meritam correptionem in finem confessionis remittere; de graviori aliquo peccato , quod pœnitens probabiliter non commisit, eum interrogare; exponere pœnitenti hinc secreti legem , illinc pudorem coram toto genere humano in ultimo judicio tolerandum. 2° Ad obviandum timori infamiæ conducit ut Confessarius devitet familiaritatem cum pœnitentibus suis, illosque sine necessitate domi non invisat ; neque permittat eos apud se venire in domum suam ut de rebus conscientiæ loquantur, quippe quod in confessionali peragendum est; non ægre ferat , quinimo suadeat et occasionem præbeat, ut pœnitentes ordinarii subinde apud alium Confessarium confiteantur , atque , si id fecerint , eos hâc de re laudet; excipiendi tamen sunt scrupulosi , qui inde magis perturbari possent, eo quod alius Confessarius illos non cognoscat. Denique, enixe commendandum est Parochis eorumque cooperatoribus ut tempore Missionum aliorumve Exercitiorum Confessiones non audiant, sed cedant confessionalia sua Missionariis aliisque Confessariis extraneis; hac ratione sacrilegia commissa facile reparabuntur. — Caveat Confessarius , ne motiva naturalia et humana adhibeat ad fiduciam pœnitentium, mulierum præcipue, sibi conciliandam ; id quippe periculosum est.

§ II. Quæstiones faciendæ rudibus.

33. — Trademus hoc loco interrogationes a Confessario plerumque faciendas rudibus, qui judicantur non sufficienter suam conscientiam perquisisse ; et pauca alia notatu digna.

Circa primum præceptum. An quatuor mysteria fidei principalia calleat? An sciat ea , quæ sunt de necessitate præcepti ? An superstitiones exercuerit, aut alios docuerit? An induxerit alios ad peccandum , aut ministerio aliorum abusus fuerit ad peccatum exsequendum, aut cooperatus sit ad peccata aliena? (·)

(1) Pœnitentes honestioris conditionis sic interrogari possunt de

Quod superstitiones attinet, Confessarius debet rudes admonere eas nunquam esse licitas, quamvis ex charitate aut in necessitate fiant. De reticentiâ peccatorum curet persæpe interrogare rudes et mulierculas, qui raro recipiunt Sacramenta, dicendo eis: *Habesne aliquem angorem conscientiæ de vitâ anteactâ? Fac modo bonam Confessionem dic omnia ingenue, noli timere, exonera conscientiam tuam.* Hâc rogatione aiebat quidam bonus Confessarius se multas animas a Confessionibus sacrilegis liberasse. Si reperiat hujusmodi sacrilegia fuisse patrata, inquirat de numero eorum; ad quem cognoscendum conducit rogare primùm a quo tempore primâ vice peccata reticuerit, deinde, an per tempus, a quo peccare cessavit, ad sacrilegium adverterit quotiescumque confitebatur et communicabat? Contingit enim aliquibus facere aliquot Confessiones sacrilegas, præcipue in pueritiâ, et postea earumdem oblivisci; hi non tenentur repetere Confessiones oblivionis tempore peractas. Roget insuper an noverit se Confessionibus et Communionibus sacrilegis etiam præceptum paschale non implevisse? Expedit porro ut interrogatio de sacrilegiis fiat in principio Confessionis, ne, si postea fiat et reperiatur sacrilegium fuisse commissum, tempus perdatur in repetendis Confessionibus, quæ forsan nihil habent dissimile a præsenti Confessione. Oportet autem operam dare, ut, qui peccata reticuerunt, cognoscant quantum peccatum sit conculcare Corpus et Sanguinem Jesu Christi. (*n.* 22.)

34. — **Circa secundum præceptum.** Annon Deum blasphemaverit? An coram filiis aut famulis? An falsum juraverit, et num in judicio vel extra judicium? Pejerando enim in judicio etiam justitiam læsit, quapropter aliquando tenebitur aut se retractare aut damnum reficere.

Ut Confessarius sciat num pœnitens revera blasphemaverit vel juraverit, debebit rogare eum quid dixerit, quo-

---

superstitione: Annon fecerint quasdam actiones extraordinarias, de quibus timendum est ne diabolus interveniat? Quânam conscientiâ egerint? Istæ quæstiones spectant ad magnetismum, hypnotismum, spiritismum.

modo juraverit. De votis Confessarius hodie interrogare non tenetur, nisi pœnitentes pios; quocirca advertat, vulgus sæpe confundere proposita cum votis; ad quæ distinguenda interrogare juvabit an, cum votum emisit, existimabat se graviter peccaturum esse, si postea non satisfecisset. Certus factus de voti emissione et de impletionis morâ, Confessarius exquirat an ob dilationem putaverit peccare mortaliter, aut se judicaverit a gravi culpâ immunem, quia sibi propositum erat illud adimplere postmodum. (*n.* 24. 25. 31.)

35. — **Circa tertium præceptum.** An diebus Dominicis aut Festis de præcepto aliquoties omiserit audire Missam? An de industriâ vel propter necessitatem? An fecerit vel mandaverit opera servilia sine necessitate? Per quantum temporis? An diebus jejunii aut abstinentiæ comederit cibos vetitos? (*n.* 33.)

36. — **Circa quartum præceptum.** Si confitentur *filii*, interrogentur annon graviter læserint amorem parentibus debitum, eos graviter contristando, subsidia eis negando? An mandata expressa parentum in re gravi transgressi sint? An gravem irreverentiam adversus parentes commiserint dictis vel factis, puta imprecationibus, injuriis gravibus coram illatis?

Cum filii contumeliam parentibus intulerunt, tenentur læsum honorem eis restituere, veniam ab eis postulando, etiam coram iis, in quorum conspectu peccarunt. In praxi tamen plerumque hic actus non injungatur, sed suadeatur tantum, pueris præsertim; nam filii postea id exsequi sæpe vel verentur vel non curant, et ideo parentes ut plurimum præsumuntur remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant. (*n.* 34.)

Si confitentur *parentes*, interrogentur an negligentes fuerint in educatione filiorum, non curando ut doctrinam christianam illi doceantur, Missæ intersint, Sacramenta frequentent, pravos socios devitent? An filios ad scholam catholicam, si adsit, posthabitâ neutrali, miserint? An curaverint ut artem addiscant aut laborem exerceant in domo honestâ? An corripuerint eos de

peccatis, præsertim de furto, si quod commiserint? An aliquod scandalum dederint illis, ipsis præsentibus blasphemando, etc.? An permiserint intempestivas aut incautas procationes, præcipue ut sola cum solo versetur? An pueros aut puellas secum in lecto retinuerint, aut permiserint pueros et puellas condormire? (1)

In quantum sunt *conjuges*, interrogentur, uterque, an bene cum consorte conveniat? Vir, an familiæ debitam sustentationem suppeditaverit? Uxor, an inobediens fuerit viro suo in rebus ad matrimonium spectantibus? Aut, an habeat forsan aliquem scrupulum, qui eam mordet circa matrimonium?

Heri interrogentur an famulos suos corripuerint, cum blasphemabant, Sacro non intererant, præcepto paschali non satisfaciebant, turpia loquebantur? Annon permittant procationem famuli cum famulâ in eâdem domo, aut clandestinam? An pactam mercedem famulis solverint?

Famuli interrogentur an debitam suis heris obedientiam in re gravi detrectaverint? An debitam ex pacto operam præstiterint? (*n.* 85. 211.)

37. — **Circa quintum præceptum.** Interroget pœnitentem an aliquem odio habuerit, eique signa communia amicitiæ negaverit? An aliquod grave malum proximo serio exoptaverit, aut de illius damno gavisus sit? An opere aliquid contra eumdem admiserit, puta gravi rixâ, percussione, vulneratione, aut quid pejus? Annon ad ebrietatem bibendo se usu rationis privaverit, aut alios ad ebrietatem hortando aut præeundo incitarit?

Quod imprecationes attinet, quibus rudes assueti esse solent, sæpe difficile est discernere num fuerint peccata mortalia an venialia. Propterea oportet rogare primò an serio optaverit ut malum eveniret; deinde utrum imprecatus

(1) A parentibus honestioris conditionis inquiri potest, an permittant filiis suis consuetudinem periculosam cum personâ diversi sexûs? An e. g. patiantur ut filia sua sola cum juvene versetur? An eis permittant exire pro libitu, frequentare theatra, choreas, societates periculosas, legere pravos libros, etc.? An eos commiserint pravis Collegiis, aut pravis præceptoribus?

sit in extraneos an in propinquos, quia in hosce, præcipue in filios, conjuges, aut parentes, raro animus pravus adest; postremo causam sciscitetur cur eas imprecationes protulerit, nam si causa gravis aut fervens ira adfuerit, facile potest pravum desiderium revera adfuisse. Cæterum non valet excusatio pœnitentis asserentis se in ipso tantum actu factum voluisse; quia hoc jam sufficit ut in illo actu commissa sit culpa gravis; unde Confessarius tunc perquirat de numero, et judicet de eis saltem prout coram Deo sunt. Quem recidivum in hoc vitio repererit, non absolvat, nisi prius resipuerit, aut extraordinarium signum dederit. (*n.* 36—38.)

38. — **Circa sextum et nonum præceptum.** Confessarius incipiat rogando an peccata contra puritatem commiserit? Quænam? An opera impura? (1) — Particularia inquirat modo, quo sequitur. Quoad *cogitationes*, an cogitationibus impuris cum inhonesto motu voluntario adhæserit? An cum plenâ deliberatione desideria impura admiserit? Num concupierit personas solutas aut conjugatas aut conjunctas? Quale opus patrare intenderit? An prava proposita exsequi conatus sit? — Circa cogitationes animadvertendum est, non raro evenire ut rudes, præsertim quando opere non peccarunt, confiteantur se cogitationes turpes et complacentiam in iis habuisse; at, si interrogentur num repulerint eas cumprimum de peccato cogitaverint, sæpe affirmant. Non distinguunt inter delectationem naturalem et deliberatam.

Quoad *verba*, an sermones obscœnos, seu de rebus valde turpibus, cum delectatione aut voluntate peccandi habuerit? An coram innocentibus, puta pueris et puellis? An cantilenas impudicas cantaverit? An delectabiliter audiverit

(1) Pœnitentes honestioris conditionis, sequioris sexûs præcipue, interrogare potest an conscientia illorum tranquilla sit quantum ad modestiam, seu sanctam puritatem? Non sunt cogitationes tantum, quas conscientia accusat? Nonne etiam verba? Aspectus? Annon et actiones? An actiones illæ commissæ fuerint cum alio? An cum personis alterius sexûs? An etiam ejusdem sexûs? An peccaverint quoque soli secumipsis?

alios turpia loquentes? An tunc adverterit ad correptionis præceptum, putans eam profuturam?

Quoad *opera*, an opere ipso contra castitatem peccaverit? An opera illa fecerit cum aliâ personâ, an diversi aut ejusdem sexûs? Quid fecerit?

Prodesse judicavi, si de singulis peccatis luxuriæ formulas quæstionum tradam, quibus Confessarius pro re natâ uti potest, ut pedetentim progrediatur ad cognoscendam malitiam et species peccatorum. Potest ergo interrogari: An aspexerit res aut partes inhonestas? An ejusdem vel alterius sexûs? An tactus inhonestos exercuerit? An suiipsius, delectationis causâ; an alterius, ejusdem vel diversi sexûs? An manu tantum, vel aliter seu ipso corpore tetigerit; an corporum compressio adfuerit? Nonnunquam ad discernendam malitiam, opus est scire an tactus habitus fuerit super vestes an super corpus nudum, an fuerit morosus. Quid ex tactu secutum sit? Impura commotio, naturæ effusio. Hæc posterior non exquiratur a fœminis, sed istæ interrogentur tantum an adfuerit plena libidinis satisfactio. Interrogetur insuper de osculis et amplexibus lascivis. — De *fornicatione* interrogari potest, an personâ alterius sexûs usus sit, vel usum corporis alteri concesserit, vel an vixerit sicut maritus et uxor, vel an fecerit quod fit in matrimonio, vel an peccatum carnis perfecerit? An vir violentiam adhibuerit? An prægnatio subsecuta sit? (1) Si ita, annon pravum consilium dederit, vel acceperit? Quale? Conjux interrogetur an fidem conjugii servaverit? — De *sodomia* in pagis raro est interrogandum; ibi enim hoc peccatum sæpissime ignoratur. In civitatibus, si prudens suspicio adsit eo quod pœnitens cum alio ejusdem sexûs peccavit, rogari potest an tactus mutuos exercuerint? Si affirmetur, an manu, vel corpore? Si corpore, an corpora conjunxerint? An cum effusione naturæ? — Si maritus confitetur se modo indebito usum esse uxore suâ, interrogetur

(1) Personæ honestioris conditionis interrogari possunt an ita peccaverint ut sequelæ eas inhonestare potuerint coram mundo? Vel simplicius, an actus sequelam habuerit aut habiturus sit?

an ita egerit ut actus conjugalis omnino compleri potuerit, vel, aliis verbis, ita ut natura in locum debitum pervenire potuerit? — De *bestialitate* interrogandi subinde sunt, iique soli, rustici, stabularii, equites exercitûs, aliique ejusmodi, qui multum versantur cum bestiis. Rogari potest an præsentia animalium illi fuerit occasio peccandi? Si Confessarius ex responso animadvertat pœnitentem immunem esse ab hoc peccato, illudque forsan ignorare, det operam ut illius peccati ideam præludat, rogando e. g. annon sævierit in animalia? Sin autem pœnitens culpâ non vacat, interrogetur an tactus impudicos delectabiliter exercuerit? Num manu tantum, an vero aliter? An actus illi pravos effectus habuerint?

Circa prædicta superest sequentia notare: 1° Mens mea non fuit insinuare semper faciendas esse omnes interrogationes, quas supra exposui; sed prudens Confessarius eas seligat, quas pœnitentium conditio faciendas esse suggesserit.

2° Confessarius non omittat inquirere de habitu, relapsu, occasione proximâ. Speciatim, caveat ab absolvendis recidivis in colloquia graviter obscœna, quamvis dicant se ea protulisse ex joco; nisi prius emendentur vel signum extraordinarium doloris afferant. Ad occasiones removendas, oportet sciscitari ex pœnitente num aliàs cum eâdem personâ peccarit, et ubinam? Pollutionarii interrogentur etiam de tactibus impudicis separatis a pollutionibus, et moneantur eos esse mortalia peccata. (*n.* 40. 41. 206.)

39 — **Circa septimum præceptum.** An aliquid injuste abstulerit, seu furatus sit? Quantum, et quoties? An ab uno aut a pluribus? An rem alienam injuste retineat? An restitutionem, ad quam sub mortali obligabatur, neglexerit? An emendo vel vendendo fraudem commiserit? An notabile damnum injuste alicui intulerit? An auxilio, aut aliâ ratione ad furtum vel damnificationem cooperatus sit? (*n.* 42.)

40. — **Circa octavum præceptum.** An aliquem infamaverit? Si id fecit, an falsum delictum ei imponendo, aut verum patefaciendo? Si delictum est verum, an illud erat occultum, aut pervulgatum? (*n.* 45.)

§ III. Quæstiones faciendæ personis diversæ conditionis conscientiam neglectam habentibus.

Obligationes statûs et officii.

41. — Multi sunt, etiam ex cultioribus, qui, nisi interrogentur, vix unquam peccatorum statûs aut officii sui meminerint. Quamobcausam jure meritoque docet S. Alphonsus: »Circa obligationes proprii statûs aut officii advertendum est, non semper sufficere quod Confessarius pœnitentem interroget tantum in genere an suam obligationem impleverit; sed, cum pœnitens videtur esse conscientiæ neglectæ, aut Confessarius aliunde habet rationabilem suspicionem quod ille suis obligationibus desit, oportet ut ipsum interroget in particulari, saltem circa ejus obligationes principaliores." (*n.* 48.)

Sacerdos, Confessarius, Parochus.

42. — Sacerdos interrogetur an Horas Canonicas recitaverit? An nimis festinanter Missam absolvat? An oneribus Missarum satisfecerit, vel annon per multum tempus distulerit eas celebrare? — Si *Confessarius* est, interrogetur an studio sufficientem operam dederit, et an studere pergat? An absolverit occasionarios aut recidivos, qui vera seu extraordinaria signa dispositionis non afferebant? Si confiteatur peccatum grave contra castitatem cum aliâ personâ patratum, interrogetur an cum pœnitente suâ? An complicis confessionem exceperit eamque ab isto peccato absolverit? An forte eam sollicitaverit? — Si est *Parochus*, interrogetur an, ut par est, corripiat vitia suorum Parochianorum, eorum præsertim, qui aliquod publicum scandalum præbent? An invigilet ut omnes paschale impleant præceptum, et, ubi fieri potest, admonuerit eos, qui præceptum implere omiserunt, opportunaque adhibuerit media ad illorum resipiscentiam? An Sacramenta ministraverit in periculo mortis, aut cum ipsemet requisitus fuit? An moribundis debitam præstiterit assistentiam? An diebus dominicis conciones habuerit? An instruxerit populum de doctrinâ christianâ, rudes præsertim circa mysteria fidei et media ad salutem, imprimis circa dolorem peccatorum

necessarium ad obtinendam absolutionem? An pueros rite instituerit in doctrinâ christianâ, eosque, cum ad decimum annum pervenerunt, ad Communionem idoneos reddiderit? Tandem, an debitas largitus sit eleemosynas? (*n.* 49—52.)

Religiosus aut Monialis.

43. — Religiosus aut Monialis interrogetur an peccaverit contra vota, paupertatis præsertim, accipiendo vel largiendo sine licentiâ? A Moniali insuper exquiratur an divinum Officium recitaverit? Annon periculosam aliquam amicitiam coluerit, puta si adfuerint verba aut chartulæ amatoriæ? An aliquâ teneatur aversione ab unâ ex Monialibus sororibus? Antistita interrogetur an debitam adhibeat vigilantiam, cum viri monasterium ingrediuntur aut ibi morantur? An abusibus conniveat? —

Quod periculosam familiaritatem attinet, constans sit Confessarius in negandâ absolutione, si Monialis nollet illam relinquere; in hujusmodi enim familiaritatibus, licet finis graviter malus absit, adest tamen periculum, adest saltem malum exemplum et scandalum respectu consororum. (*n.* 54.)

Judex, Advocatus, Notarius.

44. — Judex interrogetur an fecerit personarum acceptionem? An causas expediverit? An ante sententiam conveniens studium præmiserit? An passio sententias dictaverit? (*n.* 55.) — Advocatus interrogetur an susceperit patrocinium causæ, quam injustam æstimavit? An in defensione causarum justarum negligentiam commiserit vel malas artes adhibuerit? An damna injusta, quæ intulit, reparare omiserit? — Notarius interrogetur an ob negligentiam fuerit causa damni gravis? An infidelitatem vel injustitiam commiserit in conficiendis instrumentis? An secretum violaverit?

Politiæ ministri, custodes, milites, nautæ.

45. — Politiæ ministri interrogentur an moralitati publicæ invigilaverint, noctu præcipue? An officio suo abusi sint ad peccandum? An lustrando lupanaria habuerint prava desideria? — Custodes interrogentur an vere delinquentes in materiâ gravi detulerint intra tempus determinatum? An munera acceperint ad non deferendum? Annon innocentes detulerint ex odio, vindictâ? An denuntiaverint pro

damnificatione mere casuali? — Milites interrogandi sunt de blasphemiis, de omissionibus præceptorum Ecclesiæ, de duellis et rixis, de peccatis luxuriæ, de furtis. — Nautæ, præter blasphemias, rixas, interrogandi sunt quanto tempore in mari, quanto vero in terra fuerint, cum in utroque casu diversa peccata committere soleant; in navi nempe peccata luxuriæ perpetrant secumipsis et cum sociis, in terra autem lupanaria frequentant, ebrietati se dedunt.

Medicus et Pharmacopola.

46. — Medicus interrogetur an debitam diligentiam adhibuerit in curandis morbis? An curam pauperum non neglexerit? Annon remedium aliquod illicitum suaserit? Annon procuraverit abortum? Annon salarium immodicum exegerit? An sine justâ causâ, ex humano respectu, impertierit licentiam edendi carnes, omittendi Missam? An curaverit suos monere infirmos ut tempore debito Sacramenta recipiant? — Pharmacopola interrogetur an remedia prægnantibus præstiterit ad abortum procurandum? An vendiderit unum pharmacum pro alio, et carius quam valebat? *(n.* 57. 58.)

Opifices et operarii.

47. — Opifices interrogentur an opera tradiderint, quæ vitia occulta et damnosa habebant? — Operarii interrogentur annon tempus laboris otiosi triverint, et alios quoque operarios a labore avocaverint? Annon operam injunctam male exsecuti sint, sive ob præcipitationem, sive ob requisitorum omissionem? Annon ab heris suis furati sint?

Articulus II.

Praxis imponendi satisfactionem.

Canones pœnitentiales.

48. — Magna erat in primævâ Ecclesiâ SS. Patrum et Conciliorum cura et diligentia, ut justa pro unoquoque crimine pœnitentiæ opera ac tempora constituerentur. Horum aliquam notitiam habere, juvamen afferre potest Confessario, ut non nimis levem injungat satisfactionem, et ut persuadeat pœnitenti injunctam sibi satisfactionem prompte suscipere susceptamque explere. Sufficiat pauca proferre

specimina, in confusionem nostræ tepiditatis. Qui sciens pejeraverit, 40 dies in pane et aquâ, et 7 annos pœniteat. Si quis publice blasphemaverit, 7 dominicis diebus, dum Missarum solemnia aguntur, stet in manifesto ante fores ecclesiæ, ultimoque ex illis die sine pallio et sine calceamentis, ligatus corrigiâ circa collum, ac 7 præcedentibus feriis sextis in pane et aquâ jejunet, ecclesiam tunc nullo modo ingressurus. Singulis pariter illis 7 diebus dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem pascat, si potest; si non potest, pœnitentiam aliter suppleat. Qui opus aliquod servile die dominico vel festo exercuerit, pœnitentiam aget 3 dies in pane et aquâ. Qui in Quadragesima jejunium violaverit, pro uno pœnitentiam aget dies 7. Qui parentes injuriâ affecerit, 3 annos pœnitens sit. Si quis homicidium sponte commiserit, jejunet 40 dies in pane et aquâ, pœnitentiamque agat annis 7. Si quis explendæ libidinis causâ, vel odii meditatione, viro aut mulieri aliquid secarit, vel potionem aliquam dederit, ut non possit generare vel concipere, homicida habeatur. Si mulier sponte abortum fecerit, pœnitentiam agat 3 annos; si vero post partum proleu sponte interfecerit, pœnitentiam aget annos 12, et nunquam erit sine pœnitentiâ. Fornicator pœnitens erit annos 3, et quanto sæpius fornicatus sit, tanto majori afficietur pœnitentiâ. Adulter pœnitentiam aget annos 7.; adultera annos 5; qui cum brutis coïerit, pœnitentiâ afficietur 10 annorum. Qui contra naturam coïerit, si sit matrimonio junctus, pœnitebit 10 annos; si solutus, 7 annos. Vir semel se polluens, dies 10; si iterum, dies 20; si tertio, dies 30; si nefarie agere perrexerit, pœnitentiæ accessio ei fiat; si puer, 40 dies; si quindecim annis major, 100 dies. Si quis furtum de re minori semel aut bis fecerit, restitutâ re, pœnitentiam aget 1 annum. Qui detraxerit, pœnitens erit 7 dies in pane et aquâ. (*Lib.* 6. *n.* 530.) Rigor ille antiquorum Canonum jamdudum ab Ecclesiâ abrogatus est, atque hodie, attentâ infirmitate humanâ, prorsus immoderatus esset; nunc frequentior concessio et participatio indulgentiarum invaluit,

Praxis hodierna.

49. — Quod praxim nostram attinet, in decernendis pœnitentiis tria sunt consideranda: quantitas peccatorum, qualitas peccatoris, et finis, propter quem imponuntur; attamen major habenda est ratio peccatoris quam peccati. Tutissima regula est, quæ observatur ab iis, qui myrrham colligunt: exprimere quantum fieri potest, dummodo absque arboris detrimento, i. e. sine periculo ne pœnitens aversionem concipiat tam a Sacerdote quam a Sacramento, et negligat sibi præscripta. Plurimum autem conducet respicere finem, ideoque ejus generis actiones præscribere, quæ non solum satisfaciant pro præteritis noxis, sed præservent a relapsu. Hunc in finem semper expedit peccatoribus habituatis et recidivis injungere satisfactionem, quæ aliquanto durat tempore; tum quia actus isti repetiti habitus malos fortius expugnant et frangunt; tum quia per hanc actuum iterationem fovetur concepta commissorum detestatio peccatorum, quorum post absolutionem facile succedit oblivio. De cætero remitto lectorem ad Opus meum lib. VI. n. 209.

Articulus III.

Praxis impertiendi vel differendi absolutionem.

De hâc materiâ sat copiose tractavimus in Opere, tam in genere, quam in specie quoad recidivos et occasionarios. Non abs re erit hoc loco 1° tradere modum agendi in absolutione differendâ; 2° doctrinam de recidivis et occasionariis paucis repetere, et aliquot monita practica adjicere.

§ I. Modus agendi in absolutione differenda.

Duo in hoc paragrapho exponere volumus, videlicet 1° quænam sint signa practica, quæ dispositionem dubiam indicare solent, et 2° quid Confessarius observare debeat, quando absolutionem differt.

Signa dispositionis dubiæ.

50. — Quod primum attinet, hæc recensere possumus: 1° Confessio invita, cum nempe ad sacrum tribunal accedunt

quâdam necessitate compulsi, e. g. parentum importunitate, respectu humano; nonnunquam ob matrimonium postridie celebrandum; idem accidere potest in infirmis parum religiosis. Hujusmodi pœnitentes solent etiam sine præparatione accedere. 2° Tonus vocis, cum videlicet peccata sua patefaciunt sine ullo humilitatis sensu, quasi facta quædam communia et indifferentia narrarent. 3° Excusatio suî, cum peccata sua confitendo expurgare se conantur, culpam in alios devolvunt, terminis versutis utuntur ad peccata minuenda et obumbranda. 4° Difficultas aut nimia facilitas promittendi, cum nimirum hæsitanter promittunt ea quæ necessaria sunt, aut verbis utuntur quæ sinceritatem non redolent, vel contra, cum tam facile omnia promittunt quæ eis proponuntur, ut magnam inconsiderantiam prodant. 5° Fractio fidei, cum promissa non impleverint, v. g. si occasionem proximam non deseruerunt, aliena non restituerunt, reconciliationem neglexerunt. 6° Neglectus emendationis, cum sine emendationis conatu in pravum habitum relapsi sunt. Hos omnes Confessarius adniti debet ad sinceram contritionem adducere, cum zelo et charitate paternâ proponendo motiva efficacia. Motiva ista depromi possunt 1° ex consideratione *Dei offensi*, cujus infinita est majestas, potentia, et scientia, quique omnia videt; cujus infinita est amabilitas tam in se quam propter beneficia nobis præstita; qui nos redemit per passionem ac mortem acerbissimam; qui est supremus Judex venturus. 2° Ex consideratione *damnorum spiritualium*, quæ sunt v. g. jactura gratiæ Dei, pacis conscientiæ, meritorum, et cœli; jugum diaboli, reatus inferni, ignis æternus pro voluptate vilissimâ, etc. Ex hisce Confessarius unum alterumve motivum seligat, illudque perspicue, nervose, et breviter exponat, ita ut pœnitentis animum moveat. Ad hunc autem optatum effectum consequendum necesse est ut Confessarius ipse sentiat in corde quod ore dicit; qui enim non est ipse commotus, non facile commovebit alios. Huc adde 3° damnis spiritualibus nonnunquam adjungi posse damna naturalia, puta jacturam bonorum, famæ, sanitatis, mortem præmaturam.

Modus disponendi dubie dispositos.

Agendi ratio in dilatione absolutionis.

51. — Quod spectat ad alterum punctum, nimirum quid Confessarius observare debeat quando absolutionem differt, hæc statuimus: 1° Potissimum curam habeat ut pœnitens intelligat non ex impetu passionis neque ex malevolentiâ ipsi differri absolutionem, sed ex solo motivo charitatis pro bono ipsius. Ideo exponendæ illi sunt rationes *cur* absolutio differatur, curandumque ut pœnitens eas pervideat ac probet, dilationemque non ægre ferat. Proferenda igitur sunt bona, quæ ex dilatâ absolutione promanant, et detrimenta, quæ ex impertitâ nascerentur; ideo nempe differri absolutionem, ut dignos pœnitentiæ fructus faciat peccator, et sic perfecte a peccati occasione et consuetudine se subducat, ut S. Communionem rite et cum fructu recipiat, ut per reliquum vitæ tempus facilius a peccatis abstineat et in sancto proposito perseveret. Juvat quoque pœnitentem monere, quod facilius esset Confessario absolutionem largiri statim, quam sibi necessitatem imponere judicium bis agendi.

2° Suggerat monita et media, quibus se ad proximam Confessionem præparare et fructus ex dilatione capere possit. Quare remedia pœnitenti præscribat, quibus a relapsu se custodiat, insistatque ut ea diligenter adhibeat; moneat ipsum ut occasionem proximam fugiat, eamque fugam sibi præscriptam esse sciat tamquam conditionem absolutionis postea obtinendæ.

3° Tempus opportunum, quo revertatur, pœnitenti assignet, eumque hortetur ut redire non prætermittat. Tametsi utilius sit pœnitenti ad eumdem reverti Confessarium, non tamen ad id cogendus est, sed libertati suæ relinquendus.

4° Ubi opus est, moneat pœnitentem ne benedictionem super se proferendam pro absolutione sumat, et ne absolutione non donatus ad sacram Communionem accedat.

5° Cum pœnitens statuto tempore revertitur, Confessarius laudet eum, videat num data monita et media exsecutioni mandaverit, et emendationis fructus ediderit; inde namque definiendum est num absolutionis gratiâ dignus

sit necne. Si fieri possit, absolvatur ; nam iterata dilatio persæpe erit noxia, eo quod pœnitens tædio vel indignatione affectus difficulter rediturus sit ; animadvertat Confessarius quod aiunt Prov. XXX. 33 : »Qui vehementer emungit, »elicit sanguinem." Certe non alterâ vice remittendus est pœnitens, qui post intensum habitum nunc semel adhuc aut iterum ex infirmitate potius quam ex habitu relapsus est, dummodo bonam voluntatem ostenderit. Impellat tamen Confessarius hujusmodi infirmum ad rursus confitendum post præfixum terminum, ut sic pedetentim veterem hominem cum omnibus suis actibus exuat. In præfigendo autem hoc termino rationem habeat commoditatis redeundi ac dispositionis pœnitentis ; videndum namque est quid valeant humeri.

6° Si pœnitens, cui dilata est absolutio, *illico* alium Confessarium pro obtinendâ illâ adeat, hic audiat ipsum, ast, nisi justissimas de priori Confessario conquerendi rationes habeat, hujus præscripta et agendi rationem retineat ; tum solum hujusmodi pœnitentem statim absolvat, cum eum justo durius habitum fuisse deprehenderit, et hoc in casu priorem Confessarium excuset. Si vero *elapso tempore* pœnitens veniat, exploret Confessarius cur alium adierit, et quæ ipsi a priori Confessario imposita fuerint ; de cætero agat prout sub 5° dictum est.

Agendi ratio in negatione absolutionis.

Quod demum eos pœnitentes attinet, quibus ob eorum pravam dispositionem absolutio deneganda est, quamdiu in eodem statu perseverant, Confessarius nunquam ita abjiciat ejusmodi pœnitentem, ut eum omni spe destitutum a se dimittat, aut asperis verbis absolutione indignum declaret ; ne miser peccator in pejus ruat, planeque Confessionem deinceps rejiciat. Contra, paternâ commiseratione eum prosequatur, animum ejus emollire tentet, Deum pro ejus conversione deprecetur, ipsumque peccatorem ad orandum exhortetur ; tandem declaret se semper paratum fore ad illum pro viribus juvandum.

§ II. Absolutio danda vel differenda recidivis et occasionariis.

Rei momentum.

52. — »Maxima pars bonæ directionis Confessarii ad »salvandos suos pœnitentes consistit in bonâ agendi ratione »cum iis, qui sunt in proximâ occasione peccandi, vel ha»bituati aut recidivi. Et hi (occasionarii et recidivi) sunt »duo scopuli, in quos major Confessariorum pars impetit, »et deest officio suo.... Certum est, quod si homines sata»gerent occasionem fugere, major peccatorum pars evita»retur. Remotis occasionibus, dæmon parum lucratur, sed, »cum homo ultro in occasionem se immittit, ut plurimum »et fere semper hostis victoriam canit. Occasio, præsertim »in materiâ sensualium voluptatum, est quasi rete, quod »trahit ad peccatum simulque mentem obcæcat: ita ut »homo malum faciat quin quasi videat quod facit." (*Prax. Conf. n.* 63.)

Regulas omnes in praxi servandas cum conditionibus et temperamentis earum, exposui tum in Opusculo cui titulus: *Fasciculus Theologiæ Moralis*, tum in Opere: *Theologia Moralis;* quapropter, ne ter easdem repetam, lectorem remitto ad opera citata. Hoc loco referam doctrinam duorum insignium Theologorum e Societate Jesu, Card. de Lugo nempe et Ven. P. Segneri, quæ cum doctrinâ S. Alphonsi apprime consonat.

53. — I. **De recidivis.** Circa meros recidivos, qui nempe relabuntur propter vim mali habitûs, difficultas versatur tum circa judicium efformandum de sincero dolore et efficaci proposito, tum circa eorum emendationem procurandam.

Judicium de dispositione.

Quod *judicium* attinet de dispositione, Confessarius probe animadvertere debet relapsus provenire posse vel ex *inconstantiâ* humanæ voluntatis, quæ post firma etiam proposita et promissa mutationi obnoxia est, uti patet exemplo S. Petri Apostoli, vel oriri posse ex *defectu* firmæ voluntatis. Voluntatis mutatio dignoscitur ex studio emendationis adhibito, e. g. si pœnitens post Confessionem tentationibus restitit, aliquamdiu perseveravit, lapsus diminuit, remediis indicatis

usus est; ex hujusmodi signis suspicio infirmi propositi evanescit, et ex parte dispositionis nihil obstat sacramentali absolutioni. Si autem post Confessionem pœnitens mox eodem modo relapsus est, sine ullo conatu emendationis, firma ejus voluntas merito suspecta habetur, et munus Confessarii est disponere pœnitentem, et post exhortationem suam explorare num ille verum dolorem firmumque propositum conceperit; quod dignoscet peculiari manifestatione pœnitentiæ, seu signis illi quæ extraordinaria vocantur.

Procuratio emendationis.

Quod spectat *emendationis* procurationem, necesse est ut Confessarius pœnitenti suggerat remedia, quorum ope pravum habitum devincat. Quem in finem potissimum curet tentationum et lapsuum originem præcludere, puta otium et solitudinem, dissolutorum consortia, lectiones impudicas; enixe commendet orationem jam inde a principio tentationum, frequentationem Sacramentorum, electionem pii doctique Confessarii; quæ remedia latius exposui in Fasciculo n. 16. et in Opere n. 314.

Absolutio.

54. — De *absolutione* recidivorum, inquit Lugo (1), 1° *doctrina communis et vera* est, si Sacerdos hic et nunc, non obstante consuetudine præteritâ, judicet pœnitentem habere verum dolorem et propositum non peccandi, posse eum absolvere; quia dispositio sufficiens est dolor et propositum præsens, non emendatio futura; atque ita poterit absolvi, licet judicetur relapsurus. Eamdem doctrinam etiam S. Alphonsus pluries repetit; e. g. in *lib.* 6. *n.* 459: »Quoties »pœnitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene »absolvi poterit." Et eodem loco: »Peccator relapsus prop»ter mali habitûs vim statim absolvendus est, si firmam »habet voluntatem adhibendi media ad se emendandum." Et in *Prax. Conf.* postquam signa extraordinaria exposuit, sic concludit *n.* 75: »In summâ, quandocumque aliquod »adest signum, quo prudenter possit judicari pœnitens »mutasse voluntatem, bene absolvi potest." 2° Certum est,

(1) De Pœnit. disp. 14 n. 166.

quando Sacerdos, attentâ consuetudine præteritâ, et propensione, aliisque circumstantiis, judicat pœnitentem non averti sufficienter ab illo peccato, non posse eum absolvere, quantumcumque pœnitens dicat se dolere; quia si Sacerdos id non credit, non habet judicium ad conferendam absolutionem. In hoc tribunali, sic Segneri alloquitur Confessarium (1), tu judex es, et ad te pertinet judicare quis sit dispositus, nullâ habitâ ratione verborum Rei, quibus equidem fidem dare oportet tamquam testimonio, non autem, quando fortior præsumptio facti adversatur verborum protestationi. At, inquies, in hoc punctum consistit, ut quis certam calleat regulam, quâ secure niti, ac prospicere possit quando illorum promissis sit tribuenda vel adimenda fides. Hinc 3° ad judicium ferendum de dispositione præsenti, deservit, si peculiaria signa doloris ostendit; quando non ex consuetudine, quam habet, ad Confessionem accedit, sed animo quærendi peccatorum suorum remedium, quorum in se sentit remorsum; quando quidpiam emendationis affert, vel saltem curam se emendandi adhibuit; si antehac non edoctus mali gravitatem aut media adhibenda, nunc admonitus libenter ea suscipit, statuitque uti remediis præscriptis, quibus seipsum a relapsu præservet. In his circumstantiis oportet ei credere et dare absolutionem, tamquam disposito. Sin autem nec unum ejusmodi signorum apparet, quis prudenter judicabit hunc esse contritum? Quis voluntatem censebit esse efficacem, quæ nec unum applicat medium ad consequendum suum finem? In veritate talis non affert propositum marmori incisum, sed ne quidem argillæ aut ceræ, sed aquæ inscriptum. Denique, etsi pœnitens sit dispositus, aliquando utile erit differre absolutionem per aliquot dies, ut appareat correctio et observatio propositi. In hoc conveniunt Auctores communiter. Ita totidem verbis Lugo et Segneri *loc. cit.* — Addendum tamen est, recidivos *dubie* dispositos, qui nempe nonnisi

(1) Instruct. Conf. cap. 4.

signa ordinaria dispositionis ostendunt, interdum ex gravi causâ *sub conditione* absolvi posse, puta ob periculum alienationis a Confessione, ob necessitatem eâdem vel posterâ die Eucharistiam aut Matrimonium suscipiendi, ob. difficultatem redeundi, ob imperfectum usum rationis, et in articulo mortis. Salus enim animarum summa lex est.

55. — Bene quoque de hâc materiâ scripsit Alphonsus Manrique, cujus doctrinam profert Bucceroni in *Commentario de absolutione dandâ* etc. *n.* 24. Auctor ille quæstionem movet: »Suntne absolvendi, qui ex merâ fragilitate »in eadem peccata sæpe relabuntur?" Et respondet: »Certum est, præcise loquendo, absolutionem illis dari posse »toties quoties in ipsa peccata relabuntur, dummodo cum »verâ contritione et firmo proposito non amplius peccandi »ad pœnitentiam accedant, ut declaratum fuit in Trident. »*sess.* 14. *cap.* 3.; quia, ut ait Navarrus in Manuali *cap.* 3., »frequens peccati recidiva non est semper argumentum ne»cessarium, quo judicari possit pœnitentiam seu contritio»nem non esse veram, sed est tantummodo argumentum »maximæ fragilitatis et inconstantiæ: nec ad recipiendam »absolutionem requiritur ut pœnitens non amplius in fu»turum peccet, sed ut amplius peccare nolit. Dico secundo: »Quamvis hæc ita se habeant, nihilominus debet Confes»sarius prudenter attendere, non tantum quid absolute lo»quendo possit, sed potius quid sit ipsi pœnitenti magis »conveniens et aptum; multa enim licent, quæ aliquando »non expediunt. Debet igitur coram Deo attente considerare, »num frequens usus Confessionis talibus personis utiliter »suaderi possit, ut eorum fragilitati consulatur et volun»tatis infirmitas ac ægritudo, crebrâ hujus Sacramenti sus»ceptione, quasi remedio sæpius iterato, sanetur; num e »contrario frequens Confessionis usus illis nocivus sit, v. g. »si inde sumant occasionem peccandi liberius, si potius ex »consuetudine, quam ex vero contritionis motivo aut emen»dationis proposito ad Pœnitentiæ tribunal accedunt; unde »pro ratione dispositionis pœnitentis poterit illum interdum »absolutione privare, vel in aliquot dies differre, et interim

»pia opera illi injungere, vel ipsum de frequentiâ hujus »Sacramenti admonere; quæ omnia potius ex interiori »Spiritûs Sancti illustratione et diuturnâ in administratione »hujus Sacramenti experientiâ quam ex certis regulis ac »præceptis dignosci possunt."

Patientia erga illos.

56. — Præ reliquis ergo consuetudinarii compassionem merentur. Etiamsi sæpius spem conceptam frustraverint, ipsorum tamen salus, quamdiu vivunt, non est desperanda; licet enim recidivi pœnitentia non sit *perseverans*, non ideo tamen *vera* pœnitentia non est. Unde semper iisdem contestari commiserationem, consilia et motiva emendationis suggerere, eosque non intermissâ charitate urgere oportet, ut tandem serio resipiscant.

Hâc de re recte advertit Bucceroni *n.* 22: »Hæc quidem pœnitentia, quia perseverans non est, non sufficit »quoad ultimum ejus effectum, nempe quoad salutem æternam obtinendam, sed, quia est vera pœnitentia, sufficit »quoad proximum ejus effectum, nempe ut talis pœnitens »absolvi possit. Absolutio autem, sacramentalem conferens »gratiam, vires auget pœnitentis ad magis adhuc perseverandum, et peccata mortalia commissa remittit, ita ut, »si pœnitens iste moriatur antequam relabatur, salvus fiat; »si moriatur post relapsum in statu impœnitentiæ, minus »in inferno puniatur, cum priora peccata per absolutionem »jam fuerint deleta. Insuper in mortis periculo constitutus »hujusmodi peccator, si Confessarium habere non possit, »assuetus Sacramenta Ecclesiæ frequentare, sæpe instructus »et monitus a suo Confessario de moriendi periculo in »statu peccati mortalis, de pœnis inferni æternum duraturis, de divinâ misericordiâ et bonitate, potissimum vero »de sincero dolore et proposito eliciendo, facilius poterit »ipsemet se de statu damnationis eripere per actum perfectæ contritionis. Quare cum recidivis potissimum magna »illa cautio adhibenda est, de quâ agitur in Catechismo Romano, ne assueti isti Ecclesiæ Sacramenta frequentare, absolutionis denegatione vel etiam imprudenti dilatione ab illis »arceantur, cum ingenti æternæ salutis discrimine."

Experientia docet innumeros esse, qui emendantur quidem, at non statim penitus emendantur, sed paulatim post aliquod spatium temporis, præsertim si Sacramenta frequentaverint, et bonum repererint Confessarium, qui charitate plenus paternam eorum curam suscipiat. Innumeri quoque sunt, qui in juventute se polluendi consuetudine irretiti fuerunt, postea vero honesto matrimonio juncti boni fiunt christiani, et salutem æternam consequuntur. Idcirco consuetudinario in materiâ luxuriæ imprimis necessarium est ut frequenter confiteatur eidem prudenti, docto, et experto Confessario: Confessario vero duo sollicite cavenda sunt, nimirum, ne sit nimis rigidus, neque nimis facilis; rigor enim pœnitentes in desperationem agit et a Sacramentis avertit; nimis facile consuetudinariis impensa absolutio causa est quod consuetudo inveterascat.

57. — II. **De occasionariis.** Quoniam innumeri prope sunt homines, qui proximâ occasione malâ perperam amatâ sunt irretiti, afferam hic quædam observanda in hoc magni momenti negotio, quo intricatius forte et magis arduum occurrere nullum possit in sacro tribunali Pœnitentiæ. Ea depromam ex opusculo P. Segneri *Instruct. Conf. cap.* 5.

Difficultas removendi occasionem.

1° Quod præ cunctis semper difficillimum in hâc materiâ restat, est, assignare certam aliquam regulam cognoscendi quanta debeat esse difficultas, quæ pœnitentem liberet ab obligatione removendi ipsam occasionem; quandoquidem non quævis difficultas sufficiens est, sed ea dumtaxat quæ cum morali impossibilitate conjuncta est ut tollatur. Omnes fere Doctores rem hanc relinquunt prudenti judicio Confessarii, consideratis circumstantiis, determinandam, expendendo ac æstimando damna, tam circa honorem quam circa bona fortunæ emergentia. Pro praxi res non videtur clarius posse exponi, quam in hunc modum: Præceptum fugiendi occasionem impositum est lege naturali ad diminuenda, non ad augenda peccata. Quando itaque difficilius est in praxi tollere occasionem, quam, stante hâc, reipsâ evitare peccatum, non potest esse obligatio eam deserendi; alioqui exoriretur periculum duplicandi culpam per hæc ipsa media,

quæ lege præscribuntur ad eamdem amputandam. In dubio semper pars tutior est eligenda.

Fraudes occasionariorum.

2° In tractandis occasionariis Confessarium cautissimum esse oportet, ne ab illis decipiatur. Ideo refert Confessarios attentos facere ad duas fraudes, quibus ejusmodi pœnitentes Confessarium et seipsos possunt involvere. *a*) Plerumque solent occasionem, in quâ versantur, tam scite extenuare ut nonnisi remota videatur, vel fictitias molestias prætexunt, atque fugam perdifficilem prætendunt, cum tamen sæpe alia difficultas non subsit, nisi quod affectui molestum sit vincula adeo chara disrumpere. Hinc Confessario depingunt nonnulla scandala, afferunt detrimenta a se excogitata, describunt quam difficile sit removere occasionem, et quam facile in eâ versari absque peccato, ita ut, si Confessarius plus æquo credulum se præbeat, male præcipitatam absolutionemsit impertiturus. Quare non statim adhibeat fidem dictis, antequam probe expendat rem, utpote quæ est magni momenti. Quantum ad scandala, vel populus familiaritatem cum complice antea animadvertit, vel non observavit; si non advertit, dimissio occasionis nullam notam pariet; si vulgo innotuit, inde consequetur potius famæ redintegratio. (1) Quod attinet ad emendationem promissam tantâ facilitate, post absolutionem erunt ex carne, sicuti antea, hoc est, ex testâ, quæ primo validæ tentationis insultu diffringitur. Quod spectat ad magnam difficultatem deserendi vel removendi occasionem peccandi, notandum est quod affectus, quo miseri isti sordidis suis adhærent voluptatibus, longe supra verum eam fingant majorem. Sed age: sit res oppido difficilis; certum tamen est, nisi notabilis esset subeunda difficultas pro obtinendâ beatitudine, non diceretur violentiâ

(1) S. Alphonsus idem tradit: »Solent in his casibus pœnitentes »Confessario objicere quod occasionem removendo magnum oriturum »sit scandalum. Fortis sit Confessarius ad spernendum tale scandalum: »majus semper scandalum erit videre pœnitentem nec etiam post Con»fessionem occasionem auferre. Aut alii ejus peccatum ignorant, et »tunc nihil mali suspicabuntur; aut sciunt, et tunc pœnitens famam »potius recuperabit removendo occasionem." (*Prax. Conf. n.* 65.)

opus esse: »Regnum cœlorum vim patitur,"(1) neque occasionum fuga similis pronuntiaretur abscissioni manûs aut oculi effossioni. Quodsi separatio juberetur propositâ spe obtinendæ hæreditatis, videres quam prompte essent parituri; quinimo, siquando persona complex fieret deformis, tetrica, et fastidiosa, quam celeriter ejus desereretur familiaritas, olim tam grata! Tunc prætextus illi, quod sit domui necessaria, quod non inveniatur famula paris fidelitatis, quod illius dimissio hominibus daret ansam loquendi, momento dissolverentur, et proprio suo habitu appareret illud *Nolo*, quod tamdiu personatum latuit sub larvâ *Non potest fieri.* — *b*) Non minus perniciosum est aliud fraudis genus, quo familiariter ejusmodi pœnitentes utuntur, et circumveniunt Confessarios, cum se optimis verbis ostendunt paratos deserere occasionem *in esse.* Sed verba sunt; finitâ Confessione, nullus succedit exsecutionis fructus. Non ignoro quorumdam esse sententiam, posse primâ vice absolvi pœnitentem, datâ promissione se quamprimum suæ satisfacturum obligationi, ac deserturum malam consuetudinem. Ego vero repeto quod dixi: Regulariter loquendo, ne id facias; nam, pace illorum Doctorum, dixerim: Experientia, quæ Operarium informat ad suggerenda consilia etiam Magistris, nobis demonstrat pœnitentes tales in hunc modum absolutos, postea nullam evadendi retia ista gerere sollicitudinem; centum inveniuntur prætextus, et, antequam removeatur occasio, multiplicantur lapsus, donec, revoluto anno, rursus succedat Pascha, quo fiat copia divertendi ad alium Confessarium æque incautum. Quodsi pœnitens sæpius jam fidem fefellit tibi vel aliis, denuntio tibi quod illum non solum nullâ ratione debeas absolvere, sed neque possis; quia non est dispositus, conjiciendo se denuo, sine necessitate, in gravissimum periculum non dimittendi fœminam, quantumvis fuerit confessus, dum longe facilius discrimen potest effugere, eâ amandatâ ante absolutionem. Si, hisce non obstantibus, tibi pluris facienda viderentur

(1) Matth. XI. 12.

præsentia verba pœnitentis, quam opera præterita, et absque justâ ratione eum censeres sufficienter contritum, ideoque absolvendum, placeat audire, quæ tibi candide loquor: Non agis ut bonus Confessarius; et, si partes obis judicis, certe non satisfacis officio medici, ad quod adeo es obligatus. Sit contritus pœnitens, quantum tibi videtur, nihilominus æquum non est ut ipsum relinquas sanum in draconis faucibus, cum possis eripere ex tam atroci periculo relapsûs, remedio, quod est unicum adversus hoc malum, nempe urgendo ut ea, ad quæ tenetur, præmittat, ac differendo absolutionem usquedum omnia impleverit. — Justa hæc severitas multo magis est necessaria circa peccatores publicos; illi enim supra malitiam occasionis proximæ adjungunt quoque scandalum.

Prudens rigor. 3° Placeat lectori excipere quæ P. Segneri subjungit: »Hic liceat mihi promere doloris sensum vehementissimum, »quo discrucior. Tot regulæ, tot limitationes, tot cautelæ, »quid demum proficiunt? Sudant præstantes Theologi in »tradendis ac dirigendis pro sacrosancto hoc judicio sacer»dotalibus sententiis, tot tamen Confessarii quotidie, abs»que examine, absque discrimine, absque interrogatione, »promiscue absolvunt occasionarios, concubinarios, scanda»losos..... Quid mirum postea est, si impudicitia velut »alterum diluvium, sed flammarum infernalium, se quaqua»versum sine obice effundat? Facilitas, quâ multi Confes»sarii in quocumque absolvendo utuntur, ea est, quæ »aggeres disrumpit, viamque aperit." Verissimum ergo est, quod S. Alph. scripsit de agendi ratione cum occasionariis: »Quanto Confessarius majorem rigorem cum pœnitente ad»hibebit, tanto magis ejus saluti proderit; et contra, tanto »cum illo crudelior erit, quanto benignius cum relinquet »in occasione." (*n.* 65.)

Prudens clementia. 4° Quamvis Confessarius sectione uti debeat ad sanandum ægrotum, caveat tamen ne cum pœnitentibus, qui occasione irretiuntur, durius agat. Potius omni arte et suavitate inducendi sunt ut, cognitâ miserimâ conditione suâ, ipsimet in Confessarii agendi rationem, v. g. dilationem,

consentiant. Si enim calamum quassatum confringat, et ejusmodi homines despondere faciat, malum mire augebitur; plurimi exinde in vitiis suis computrescent, quia vel a Confessario duram repulsam retulerunt, vel de suâ emendatione penitus desperant. Confer hâc de re meum Fasciculum Theol. Mor. n. 7—11. vel Theol. Mor. lib. VI. n. 305—309.

CAPUT III.

OFFICIA MEDICI.

58. — Duos fines habet Pœnitentia; unus est delere culpas præteritas, alter impedire futuras. Ad primum contendit Sacerdos officio judicis; alterum obtinet medici munere. Et tametsi officium medici sit secundarium, nihilominus non minus interest pœnitentis reperire a quo curetur, quam a quo absolvatur. Porro, ut Confessarius pœnitentes suos bene curet, debet spiritualium eorum infirmitatum causam investigare, eos corripere, et remedia salutaria injungere, prout tradit Rituale Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 17. (*n.* 6.)

Loquendo de remediis pœnitenti insinuandis, notandum est alia esse generalia, alia esse particularia pro aliquo vitio particulari.

Articulus I.

REMEDIA GENERALIA.

Pandemus 1° quænam sint illa remedia, 2° quid debeat esse præcipuum curationis objectum, 3° quid Confessarius advertere debeat circa fructum suæ curæ.

Recensio remediorum.

59. — I. Remedia omnibus insinuanda sunt: 1° *Amor Dei*, utpote qui immediate ad ipsam peccatorum radicem, scilicet inordinatum creaturarum amorem exscindendum tendit. Doceatur quoque pœnitens quanti valeat Dei amicitia, quantâque pace interiore ii donentur qui Dei gratiâ fruuntur,

necnon qualem infernum anticipatum experiantur qui alieni sunt a Deo, additâ vindictâ temporali, quam secum trahit peccatum. 2° *Frequens oratio*, tum ad ipsum Deum, tum ad B. Virginem, Rosarium recitando, tum ad aliquem Sanctum peculiarem protectorem; cum enim corda hominum in manu Dei sint, et ab Eo solo gratia, sine quâ nihil efficere possumus, exspectari debeat, merito oratio frequens et seria inter potissima remedia ad sinceram emendationem numeratur. 3° *Frequentatio Sacramentorum;* quia per hæc conferuntur efficacia auxilia gratiæ, quæ a spirituali morbo caduco seu relapsu in peccatum præservant, et ad profectum in virtutibus adjuvant. Optimum consilium est post relapsum in gravem culpam statim confiteri. 4° *Æstimatio magna gravitatis peccati;* peccatum enim est offensa Dei, crucifixio iterata Christi, animi fœdatio et mors, beatitudinis amissio, æternorum suppliciorum reatus. 5° *Consideratio novissimorum*, puta mortis, judicii, inferni, gloriæ cœlestis, juxta consilium Eccli. VII. 40: »In omnibus »operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum »non peccabis." 6° *Memoria præsentiæ Dei;* præsertim cum urget tentatio, dicendo: »Deus me videt." 7° *Examen conscientiæ* quolibet vespere, cum actu doloris et propositi. 8° *Adscriptio in aliquâ Congregatione;* in eâ enim, si bene dirigatur, multa suppetunt media salutis. Imo dici potest frequentationem hujusmodi Congregationis medium esse præ reliquis utile ad conservandos homines, viros præsertim, in via salutis; quare hoc medium enixe commendandum est. Huc adde pro nostro tempore societatem timoratorum, spiritum familiæ, vitam sedatam in proborum consortio. Sacerdotibus commendandæ sunt oratio mentalis, præparatio ad Missam et gratiarum actio. (*n.* 15.)

Præcipuum remediorum objectum.

60. — II. Quod curationis objectum attinet, præcipua cura adhibenda est 1° circa peccata *interna* cordis; ex corde enim, ut Christus nos docuit, procedunt peccata externa oris et operis; et eo major debet hæc cura esse, quo peccata illa minoris æstimari solent. Confessarius igitur inculcet pœnitentibus ut, si adoriatur tentatio, statim con-

fugiant ad orationem, vel animum convertant ad honestam occupationem externam, vel actum virtutis, e. g. charitatis, contritionis, aut virtutis oppositæ, eliciant. 2° Circa vitium *dominans* in pœnitente, et circa peccata *prægnantia*, quæ plura alia peccata progenerant, cujusmodi imprimis sunt lectio pravorum scriptorum, ebriositas; item circa *occasiones proximas*. Hunc in finem expedit ut pœnitens eumdem Confessarium retineat, qui animæ ejus infirmitates pernoscit. 3° Circa *signa prænuntia* futurorum peccatorum, ut media præservativa præbeat; ejusmodi signa sunt v. g. decrementum bonorum operum, incautela in amicitia, in conversationibus.

Medici scientia nequaquam in eo tantum sita est ut pharmaca propinet, sed illa morbi naturæ et ægrotantis statui accommodet. Ne igitur Confessarius in re adeo necessariâ deficiat, curam intendat in remedia aptanda infirmitati, tentationibus, et occasionibus, in quibus pœnitentes versantur, ita ut, si vehementes sint tentationes, si peccandi occasiones frequentes, validiora illis sint tribuenda remedia. Propterea videbit Confessarius utrum peccatum dominans vel pœnitentis tentatio sit veluti continens febris; utrum occasiones sint semper præsentes; quo in casu remedium opportunum erit, quod et ipsum sit semper præsens.

Fructus obtentus.

61. — III. Circa fructum sui laboris advertat Confessarius 1° peccatorum conversionem opus esse divinæ gratiæ potius quam humanæ industriæ; quapropter crebro et ardenter oret pro tali pœnitente. 2° Non abjiciat animum, nec desperet de emendatione pœnitentis vitio assueti et inveterati; hæc enim derepente contingere non solet, sed multum temporis, et pugnæ, et laboris, et orationis ordinarie requirit, cum difficile sit susceptum semel peccati jugum a cervicibus suis excutere, quoniam qui facit peccatum, servus est peccati, nec potest jam liberari nisi in manu forti. 3° Caveat ne aut labore in curatione suscepto defatigatum se ostendat, aut certum divinæ misericordiæ justitiæve tempus præscribat; Deus namque non solet magna gratiæ suæ dona, nisi diu desiderata, largiri: »Diu desi-

»derata, inquit S. Augustinus, (1) dulcius obtinentur; cito »autem data vilescunt." 4° Si tandem nihil omnino se profecisse comperiat, non turbetur; nam Deus unicuique reddet secundum laborem suum, non secundum proventum; curam exigit, non curationem. Securus labor, quem nullus valet evacuare defectus! 5° Ubi autem labor e votis successerit, et pœnitens in viam salutis redierit, Confessarius gratias agat Deo, qui dedit velle et perficere, siquidem nihil est qui plantat, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.

Articulus II.

REMEDIA CONTRA PECCATA CAPITALIA.

62. — Mens mihi non est de istis fuse tractare; volo tantummodo aliqua motiva exponere, quæ Confessarius potest pœnitentibus suggerere contra illa peccata. Ostendat igitur *superbo*, quam absurdum sit superbire ob dona, quæ non sunt propria, sed mutuata tantum a Deo; sæpe quoque inania sunt, de quibus homo superbit, e. g. *divitiæ* lutum sunt, hominem non majorem nec felicem faciunt, sed potius alliciunt ut ruat in interitum: magna *æstimatio hominum* simulacrum est in cerebro aliorum effectum, sæpe falsum, inconstans, quo quis major non evadit: *nobilitas* vana est, nam nobilis ex luto est non secus ac cæteri homines, mors eam tollet, nobilemque parem faciet et forte inferiorem plebejo: *pulchritudo* corporis sita est in fugace colore cutis, carnisque et ossium proportionatâ conjunctione, corpus ipsum intus plenum est fœtore et sordibus: *scientiam* denique dæmon ampliorem habet quam homo doctissimus, et tamen miserrimus est. Ostendat *avaro*, quam absurdum sit congregare divitias in loco, ubi non est diu mansurus, negligere autem opus, quibus æternum frui potest: *luxurioso*, cum porcis eum volutari in luto voluptatum, et siliquis eorumdem pasci:

(1) Sermo 61. cap 5 n. 6.

iracundo, quam injustum sit tantopere irasci proximo ob leve peccatum, cum interea ipse gravia peccata committat, et tamen sibi parci petat a Deo: *ebrioso*, quam turpe sit seipsum in bestiam convertere, et periculo æternæ et temporalis mortis exponere: *acedioso*, quam stultum sit pro Dei amore et præmio æterno nolle præstare, quod alii paucis nummis allecti haud gravate præstant. Juvat quoque Christi tormenta per singula vitia procurata ob oculos ponere, e. g. Christum fuisse venditum per avaritiam, accusatum per invidiam, damnatum per iram, flagellatum per luxuriam, spineam coronam illi impositam per superbiam, acetum ei propinatum per gulam, crucem illi impositam per acediam. Confer Opus meum lib. I. n. 244. seqq.

Articulus III.

PRAXIS CURANDI IGNORANTIAM.

Prudentia necessaria est.

63. — In auferendâ ignorantiâ singulari opus est prudentiâ. Etenim, quemadmodum ægritudo corporis veneno subinde indiget ad arcendam mortem: ita quoque infirmitas animæ subinde juvatur ignorantiâ; quando nempe voluntas debilis est ad operandum, tunc expedit intellectum nonnihil cæcutire, ut aliquæ obligationes non cognitæ excusent a culpâ harum transgressionum, quas homines debiles æque essent violaturi, si earumdem haberent notitiam.

Ignorantia alia prodest, alia obest.

Hinc necesse est distinguere duas ignorantias, quarum una adversatur pœnitenti, altera favet, et pro diversitate casuum aliter atque aliter se gerere. Exempli gratiâ, Confessarius observat matrimonium esse invalide contractum, quod pœnitens non videt, cum ignoret occultum impedimentum; sinat ipsum in istâ innocente cæcitate dormire; quia, si ei ostenderit nullitatem matrimonii, neque in promptu habeat remedium quo medeatur, aperiet quidem oculos, sed grandi suo malo; non enim se separabit a cohabitatione cum muliere, neque cohabitando se contine-

bit a peccatis. Alius occurret pœnitens, qui dubitat de aliquâ obligatione, neque curat exquirere, et sic ipsius ignorantia erit vincibilis et crassa; vel, non solum negligit exquirere, sed, cum exposita ei fuerit veritas, mox claudet oculos ne cogatur intueri, itaque ignorantia non solum erit crassa, sed affectata: in his casibus nemo non videt Confessarium teneri eam removere, utpote quæ pœnitentem reddit culpabilem.

Ignorantiæ majoris momenti.

64. — Ut ad particularia deveniamus, tres ignorantiæ in pœnitente sunt potissimum auferendæ. 1° Ignorantia eorum mysteriorum, quæ fideles omnes tenentur credere. Miseri isti ignari sæpe sæpius laborant ignorantiâ culpabili multumque noxiâ; unde non sunt absque remedio in tanti momenti negotio derelinquendi, sed Confessarius cum illis aliquem sustineat laborem, ac primò instruat patienter quantum opus fuerit, deinde eos disponat ad sincerum dolorem et propositum, demum, si capaces sint, absolvat. Confessarius insuper non omittat hoc genus hominum hortari ad frequentandas catecheses. Confer Opus lib. II. n. 3. 4. — 2° Ignorantia circa necessitatem contritionis et propositi, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ valide ac fructuose suscipiendum requiruntur. Multi peccatores videntur sibi fingere Confessionem ad modum vectigalis, quod Christus imposuit peccato, ita ut parum referat nova committere peccata, dummodo se submittant præscripto oneri ea coram Sacerdote recitandi; quare, cum se parant ad Confessionem, omnem collocant sollicitudinem in ordinandâ peccatorum declaratione, doloris vero modica habetur ratio. Inde evenit ut hoc Sacramentum, quod est secundus Baptismus, multis efficiatur lavacrum, si non exitiosum, certe inutile, et qui sibi videntur mundati, lotionem ne attigerunt quidem, juxta sententiam Prov. XXX. 12. »Generatio, quæ sibi munda »videtur, et tamen non est lota a sordibus suis." Confessarii itaque officium erit, non solum ad dolorem et propositum excitare pœnitentem, sed admonere quoque de necessitate bene se posthac disponendi, demonstrando ipsi Confessionem sine dolore efficaci esse corpus sine animâ,

atque adeo multo magis incumbendum esse in peccatorum detestationem quam in eorumdem examen. 3° Ignorantia seu potius incuria circa peccata omissionis, videlicet circa peccata, quibus officia statûs sive muneris negliguntur. Quot pœnitentes hominis privati peccata confitentur, sed, nisi interrogentur, vix unquam peccatorum statûs sui meminerunt? Non solum homines rudes et plebeji, sed multi quoque ex cultioribus de salute suâ sibi satis securi videntur, ubi conscientia de peccato graviori commissionis illos non redarguit, et tamen officia summi momenti sæpe negligunt. Contigit aliquando ut imperator Carolus V confiteretur Sacerdoti cuidam sibi ignoto; postquam se accusaverat suorum peccatorum more privati hominis, subdidit nihil aliud sibi occurrere, cui Sacerdos respondit: »Dixisti »peccata Caroli, dic nunc peccata Cæsaris." Multi sunt patresfamilias, domini, magistratus, operum præsides in officinis, imo et pastores animarum, qui dicunt peccata Caroli, sed non dicunt peccata Cæsaris. Partes igitur Confessarii sunt, ubi opus fuerit, pœnitentes dedocere hujusmodi oblivionem.

Ignorantiæ minoris momenti.

65. — Præter præmissas ignorantias, quæ sunt majoris momenti, dantur et alia genera ignorantiæ. Primum genus est circa erroneam conscientiam, quæ duplici modo accidere potest: 1° Si judicet pœnitens aliquid esse peccatum, quod non est; ejusmodi ignorantiæ communiores sunt apud plebejos timoratæ conscientiæ, qui subinde putant se graviter peccare, si die festo omittant Sacrum etiam justâ de causâ; si jejunium non servent, etsi non sint ad illud obligati; si cogitationibus inhonestis etiam sine complacentiâ vexentur; si pollutionem nocturnam licet involuntariam patiantur; si die festo etiam necessaria opera peragant, etc. Huc etiam pertinet, quando peccatum aliquod gravius aut alterius speciei, quam revera est, commisisse se judicant. Confessarius tales pœnitentes instruere tenetur. 2° Si contrà pœnitens judicet aliquid non esse peccatum, quod est; e. g. si putet non esse peccatum, saltem grave, turpibus cogitationibus morose delectari; turpia recreationis gratiâ

proferre; seipsum polluere; matrimonio abuti; varias incantationes adhibere ad morbos curandos, etc. Hujusmodi ignari docendi sunt juxta regulas communes monitionis faciendæ, quas tradidimus in Opere lib. VI. n. 272. — Secundum genus ignorantiæ versatur circa obligationes, quas pœnitens per peccata contraxit, qualis est v. g. obligatio se reconciliandi, scandalum reparandi, restituendi, etc. Quocirca debet Confessarius non modo pœnitentem docere suam obligationem, prout prudentia postulat juxta monitionis regulas, verum etiam promptum illum reddere ad eam implendam; quare prætextibus vanisque effugiis aurem non præbeat; dicat illi voluntatem exsequendi suam obligationem esse conditionem necessariam ad remissionem peccatorum; obligationis impletione conscientiam ejus pacatum iri; executionem faciliorem reddat pœnitenti, indicando ipsi quid et quantum et quomodo facere debeat. — Tertiam genus ignorantiæ constituunt falsa excusatio a dierum festorum et jejuniorum observatione, atque prætensa impossibilitas diligendi inimicos.

Utilitas pœnitentis semper spectanda.

66. — In admonitionibus faciendis Confessarius semper ante oculos habeat pœnitentis sui utilitatem. Concionator publice docens veritatem debet aperire, etsi sine fructu alicujus auditoris in particulari, imo interdum cum damno, *opportune*, *importune*, ut ait Apostolus; at non ita Confessarius, qui privatim instruit. Regulas prudentiæ in admonitionibus servandas exposuimus in Opere lib. VI. n. 272. et 273. Unum casum hoc loco amplius enucleare volumus, nimirum: Si pœnitens ipsemet antea jam in suspicionem erroris devenerit, an Confessarius debeat ei revelare veritatem, licet prævideat notitiam hanc ei cessuram esse in detrimentum? Respondeo omnino id esse faciendum; aliàs non solum permitteret errorem, sed etiam approbaret, quod nunquam fieri potest. Verum in hoc casu non plus manifestet veritatem quam quæritur; e. g. pœnitens matrimonium contraxit, edito ante illud voto castitatis, nunc vero rogat sitne validum suum matrimonium; respondeat Confessarius affirmando, nullâ factâ debiti mentione, quod

prohibetur petere. Si pœnitens postea de hoc ipso quærat, utrum possit satisfacere debito, quod secum fert status conjugatorum, Confessarius affirmabit quidem, sed non declaret quod, cum possit reddere, non possit similiter petere.

Cæterum, in genere loquendo, longe majori libertate potest Confessarius veritatem aperire, quando ignorantia est circa præcepta naturalia, quam cum est circa positiva; quia prior rarius invenitur, et, quando adest, rarius est innocens et inculpabilis, et, si innocens est, raro potest diu talis permanere, reclamante lege vivâ, quam secum in corde homo circumfert. — Addere hic possumus, sæpe contingere ut peccatum aliquod ex ignorantiâ culpabili committatur, et tamen postea ex ignorantiâ inculpabili in confessione omittatur; quia peccatum ex ignorantiâ commissum facile e memoriâ elabitur.

Tandem Confessarium monitum volo, ut, si dubia solvenda ipsi proponantur, aut consilia ab ipso petantur, non præcipitanter respondeat, sed, nisi certus sit de veritate responsi, spatium deliberandi petat; neque nimium sibi fidat, sed, si res exigat, et absque sigilli læsione fieri possit, doctiores etiam consulat; nec facile aut promiscue dubia *scripto* resolvat. Sic agendo Confessarius fiduciam pœnitentis sibi conciliabit, qui libenter se ductui ejus submittet; contra, secus agendo periculum incurrit pœnitentem ad imprudentem agendi rationem impellendi, indebitum onus ei imponendi, imo et ejus bonæ famæ detrimentum afferendi, unde procul dubio et fiduciam ejus amittet.

Articulus IV.

PRAXIS CURANDI CORDIS DURITIAM.

67. — Non solum mentis ignorantia depellenda est, etiam cordis duritia sæpe emollienda occurrit Confessario. Ut ad votum succedat hoc tentamen, tria media sunt adhibenda, videlicet 1° oportet proponere pœnitenti sub finem Confessionis motiva, unde apprehendat et ponderet inæstimabilem

Tria media conversionis.

Proponere motiva abhorrendi peccatum.

peccati malitiam. Motiva ista revocari possunt ad Deum et ad peccatorem. Ad Deum pertinet *a*) injuria, quâ peccator afficit Deum suum, dum in contemptum tantæ Majestatis præferre voluit voluptates suas; *b*) injuria, quam infert Christi Redemptioni; perpetrando enim id, quod causam dedit Christi passioni, nempe peccatum, peccator quodammodo tentavit renovare ejus vulnera, iterare opprobria, ac rursus crucifigere Filium Dei, ut ait Apostolus ad Hebr. VI. 6; *c*) ingratitudo, quam ostendit erga Deum, Eum offendendo post tot ac tanta beneficia, tam naturæ quam gratiæ, communia et particularia, occulta et manifesta, ab Ipso tunc quoque recepta, cum Eum actu offendebat, quasi non omni momento in potestate esset illius Domini tam indigne habiti, eum subito præcipitare ad inferos. Ad peccatorem spectat *a*) jactura gratiæ divinæ, cujus vel unus gradus universa naturæ bona superat; *b*) jactura paradisi, quem commutavit cum detestabili et momentanea voluptate; *c*) jactura pacis cordis; conscientia enim peccatorem jugiter redarguit, nec sinit internâ pace frui; *d*) brevitas vitæ, et mortis incertitudo, quæ subito ac improviso illum potest abripere; *e*) miseranda servitus, quâ efficitur mancipium diaboli, tyranni et impostoris, qui quantum nunc allexit ad peccatum, tantum postea inferet cruciatuum; *f*) horror judicii Dei, ac tormentorum in inferno æternitas, cui post tot milliones annorum, quot sunt in maris littore arenæ, quot in aëre atomi, necdum vel momentum detractum erit. Præter hæc, pœnitentis animo imprimenda est hæc veritas, quod, quanto plus augetur peccatorum numerus, tanto magis crescat difficultas consequendæ salutis; quod mali habitus semper plus vigoris acquirant, magis obscuretur mens et frangatur animus, semperque indignior fiat auxiliis divinæ gratiæ; quod diabolo crescant audacia viresque ad oppugnandum, peccatori autem magis magisque deficiant ad resistendum. Quomodo ergo æternam evadet damnationem? In fine vitæ aut non suppetet tempus ad confitendum, aut, cum habuerit, non succedet vera pœnitentia.

Corripere peccatorem.

68. — 2° Necesse est ut Confessarius admonitioni repre-

hensionem admisceat. Quocirca juvat notare: *a*) Tenetur eos pœnitentes maxime corripere, qui multis peccatis mortalibus gravati ad Pœnitentiæ Sacramentum raro accedunt. *b*) Hanc officii sui partem adimplere debet erga personas etiam conspicuas, si de gravi muneris sui omissione cum tepido animi sensu se accusarent. *c*) Ordinarie non corripiat pœnitentem ante finitam confessionem, ut monet Rit. Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 14., ne præbeat pluribus occasionem tacendi aliquod peccatum. (*n.* 4. 7.) *d*) Ne contingat pœnitentem exacerbari potius quam converti, *raro*, i. e. nonnisi necessitate cogente, *increpatio* adhibeatur. Tria recensentur genera pœnitentium, quos non expedit objurgare, nempe pusillanimes, contriti, et qui auctoritate aliquâ sunt conspicui. Reprehendendi non sunt ii, qui timidi aut pusilli sunt animi, ne nimio timore afficiantur. Parcendum est iis, qui insolito modo compuncti apparent, exemplo Jesu Christi qui neque Mariam Magdalenam reprehendit neque mulierem adulteram, et in parabola filii prodigi patrem filium suum ad se revertentem omni benignitate excepisse narrat. Non sunt increpandi, a juniore præsertim Confessario, alicujus auctoritatis homines; hoc enim debita illorum gradui reverentia postulat, et sic suadet Apostolus I Tim. V. 1: »Seniorem ne increpaveris, sed »obsecra ut patrem." Hisce addere debemus hodie illos, qui ingenii exulcerati et in fide infirmi sunt, quemadmodum Isaias XLII. 3. prædixit de Christo: »Calamum quassatum »non conteret, et linum fumigans non exstinguet"; ejusmodi enim homines facile alienantur a Sacramentis et a Religione. Increpatione cum iis utendum est, qui sunt naturæ durioris, qui ex malitiâ peccant, qui suis scandalis nocent pluribus; hujusmodi peccatores deprimendi et terrendi sunt, ut ex lethali sopore expergefiant, præsertim si benigna exhortatio fructum non habuit; ita tamen fiat ut zelus nullâ aspergatur iræ aut impatientiæ maculâ, et correctio brevis sit. Cæterum, cum difficile sit mediam tenere viam, si ad alterutrum deflectendum est, præstat excedere mansuetudine quam rigore; hoc tamen moderamine ut

Confessarius non imitetur eos, qui sub prætextu benignitatis non medentur; nam, etsi Confessarius imprudens possit pœnitenti afferre damnum exasperando vulnera, quibus mederi deberet, multo tamen majus est damnum, quod excitant Confessarii muti, qui nunquam aliam quam lenissimam illam Heli Sacerdotis correptionem adhibent: »Nolite facere res hujuscemodi," (1) et mox absolvunt. Denique notandum est, si pœnitens plura peccata mortalia diversæ speciei confessus est, non generaliter dumtaxat faciendam esse correptionem, quia parum proderit; neque distincte de singulis, quia erit oppidò molesta et fastidiosa; sed Confessarius seligat unum alterumve ex notabilioribus et circa ea studeat excitare detestationem atque animosum propositum, quod cætera omnia involvat.

Porro continget ut peccatores duri corde, etiam adductis omnibus rationum momentis et adhibitis reprehensionibus, nullum compunctionis signum edant; non ideo despondendus est animus, sed repetendæ sunt industriæ, atque aliud remedium imprimis efficax ad vincendam quamcumque duritiam frequentandum est, nimirum oratio.

Fervide orare.

69. — 3' Accidit identidem Confessariis audire peccatorum lamenta, quando exaggerando suam fragilitatem videntur tacite accusare divinam Providentiam, quasi esset suorum lapsuum auctor, eo quod illos non ex ære, sed ex luto formaverit. Sed responderi ipsis poterit: »Numquid »non reliquit vobis Deus orationem? Scitote itaque quod »in solâ oratione vobis instruxerit validissimam armaturam, »quâ vos contra hostes vestros defendere, eosque devincere »potestis." Contulit Deus tantam vim et efficaciam orationi, ut, quando ab Ipso quidquam petitur ad salutem spectans, neque petitio aliquo laboret defectu, certo et infallibiliter obtineatur quod petitur. De quo quidem ita certos nos esse jussit, ut, qui dubitaret, vel Eum potestate defecisse vel ficte promisisse, sentire videretur. Imo, ut excitaret torporem nostrum ad arripiendum hoc remedium, effecit

Oratio est medium necessarium et efficax.

(1) I Reg I 23. 24.

illud non solum opportunum, sed etiam necessarium; cum lege ordinariâ (quam nempe Providentia communiter sequitur) post primam gratiam cætera auxilia ad salutem non accipiantur, nisi petantur. Propterea Auctor libri *De ecclesiasticis dogmatibus. cap.* 26. (1) egregie scripsit: »Nullum »credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire; nullum »invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari; »nullum nisi orantem, auxilium promereri." Hic mos est Curiæ cœlestis, conferre gratias suas promptissime, sed supplicantibus. Hinc magni nominis Theologi docent, quibusdam peccatoribus penitus excæcatis et induratis subtracta esse non solum auxilia extraordinaria gratiæ efficacis, sed et solitam provisionem gratiæ sufficientis, et solum ipsis relictam esse facultatem sufficientem sese Deo commendandi, ut videtur deduci posse ex celebri Concilii Trid. *sess.* 6. *cap.* 11. sententiâ: »Deus impossibilia non jubet, sed ju»bendo monet et facere quod possis et petere quod non »possis, et adjuvat ut possis." Si non utantur clave hâc aureâ ad hauriendum ex divinæ misericordiæ cellâ vivificum liquorem, prostratis viribus, nulla spes ipsis superest, effugium nullum, sed certe peribunt. Neque ulli, nisi sibi ipsis, mortis suæ causam possunt adscribere; quia voluntaria illa negligentia recurrendi ad Deum satis abundeque illorum peccata reddit voluntaria, ac voluntariam perditionem. Quod si verum est, quid evidentius declarare potest necessitatem orandi? — Præterea nulla subest remedio huic difficultas; quid enim facilius esse potest pauperculo alicui, quam eleemosynam poscere, maxime ab opulento? adeoque ex hoc capite neutiquam erimus excusati. In nostrâ situm est potestate conservare gratiam divinam, et non reverti ad peccata præterita, nempe assidue Dei opem efflagitando, magnâ fiduciâ atque animi demissione, quâ agnoscamus non meritis nostris, si exaudiamur, esse attribuendum, sed ejus bonitati ac promissioni summâ fide præstitæ. Ex neglectu orationis originem suam trahunt omnes lapsus. »Vigilate

Est medium facile.

(1) Hic liber inter opera S. Augustini dubia vel spuria habetur.

»et orate, ut non intretis in tentationem." (1) Ex eodem fonte promanat inopia nostra: »Non habetis, propter quod »non postulatis." (2) Debiles estis, quoniam non petitis vigorem: infirmi estis, quia pro salute vestrâ supplices fieri dedignamini. »Non habetis, propter quod non postulatis." Et hinc tanta est orationis necessitas ad consequendam salutem, ut, qui non se per eam Deo unquam commendaret, salvari non posset; quamobrem S. Augustinus censuit unicum esse medium quo promereri possimus quodammodo finalem perseverantiam. »Alia, inquit, Deum danda »non orantibus, sicuti initium fidei, alia nonnisi orantibus »præparasse, sicut usque ad finem perseverantiam." (3) Prima gratia confertur non petenti, perseverantiâ nemo absque oratione potietur. Adhæc, quando vehemens nos impugnat tentatio, ex quâ grave peccandi instat periculum, tenemur adeo ad orationis asylum confugere, ut, qui eam negligit, ejusdem speciei culpam censeatur incurrere, ad quam tentatio impellit. — Idcirco, inquit Segneri, cujus doctrinam refero, (4) optanda hodie esset tanta vocis contentio, ut audiretur ubique locorum, ab iis maxime, qui longo jam tempore immersi sunt peccatis, hocce consilium: »Com»mendate vos Deo, commendate vos Deo! Bene advertite, »nullum inter vos atque damnatos intercedit discrimen, »nisi quod in potestate vestrâ sit uti oratione. Videte pon»tem unicum vobis relictum, per quem tot mala, quibus »nunc circumdati estis, et quæ postea vos manent, effu»giatis."

Adhibenda est a Confessario, inculcanda pœnitenti.

Oratio, quæ mira patrare solet etiam in cordibus induratis, dupliciter Confessario debet esse usui; primo nempe, ardentibus votis ipsemet debet Deo commendare pœnitentem male dispositum; deinde huic significanda est idipsum

---

(1) Matth. XXVI. 41. — (2) Jacob. IV. 2. — (3) De dono persever. cap. 16. n. 39.

(4) Instruct. Conf. cap. 8. Instruct. pœnit. cap. 13. Zelantis hujus Missionarii doctrina de oratione summatim exprimit doctrinam S. Alphonsi de necessitate et efficaciâ orationis, deque gratiâ orandi omnibus semper paratâ, quâ qui competenter utitur, salvabitur, quam qui negligit, peribit.

pro se faciendi summa necessitas, atque demonstrandum, præsidio orationis in ipsius potestate esse obtinere a Deo mutationem animi et vitæ suæ, factâque mutatione, perseverantiam. Ostendat illi quoque modum efficaciter orandi, nempe cum humilitate, perseverantiâ, et fiduciâ. Circa conditionem fiduciæ errari potest per excessum et per defectum. Peccant excessu, qui, dum in accumulandis peccatis sunt assidui, paucis quibusdam precatiunculis confidunt se sub exitum vitæ pœnitentiam impetraturos esse; hæc est perniciosa deceptio, cum eo pacto oratio efficiatur vitæ peccaminosæ fautrix. Errant alii defectu confidentiæ, et horum numerus videtur esse major. Hi cum in aliquod peccatum relapsi sunt, intermittunt consuetas preces, falso persuasi, se, quamdiu vivunt in tali statu, nihil inde capere utilitatis: itaque negligunt ad Deum recurrere, dicentes indignos se esse qui exaudiantur. Hisce itaque demonstrandum est, quod, tametsi quis perdiderit gratiam, et ipsa bona opera ejus careant merito, conducant nihilominus per modum dispositionum redeundi ad vitam; juvant quoque ut Deus concedat tempus et gratiam pœnitendi. Quod vero indignos se judicant, qui exaudiantur, est allucinatio; Deus enim exaudire nos non debet intuitu bonitatis nostræ, sed suæ, suarumque promissionum. Hinc fit ut peccator aliquis plus obtinere possit quam justus, si majorem habeat fiduciam præ isto; quia efficacia orationis procedit ex fide; idque Christus ipse insinuavit, quando dixit; »Si non dabit illi eo quod amicus ejus sit, propter »improbitatem tamen ejus (i. e. propter instantiam) dabit »illi." (Luc. XI. 8.)

Praxis doctorum.

70. — Quod praxim attinet eorum, quæ supra exposuimus, Confessarius accipiat sequentem. Si pœnitens non est bene dispositus, seligat ex motivis n. 67 adductis quædam pœnitentis capacitati ac necessitati magis idonea, quibus melius illum disponat. Deinde, excitato saltem in peccatore desiderio recuperandi animæ sanitatem, utpote necessario, præscribat illi quoties in die a B. Virgine debeat supplex flagitare contritionem, recitando e. g. tria vel

quinque *Ave Maria*, donec, elapso temporis spatio sive dierum sive hebdomadum, mutata voluntate redeat absolutionem accepturus. Experientia Confessarium docebit vim atque robur orationis; cui interea ipsemet quoque debet insistere ad obtinendam a Deo miseræ hujus animæ salutem. Et, quamvis præsertim in difficilioribus casibus ad orationem recurrendum sit, nihilominus oportet ut Confessarius eam semper adhibeat tamquam efficacissimum in ministerio tam sublimi adjumentum.

Articulus V.

PRAXIS EXHORTANDI PŒNITENTES.

Omnes quidem, sed peccatores præcipue exhortandi sunt.

71. — Hâc de re juvat præ cæteris referre monitum Benedicti XIV ad Confessarios, in suâ Constit. *Apostolica.* 26 Junii 1749. n. 22: »Eos potissimum, qui aut rarò, aut »non sine multis criminibus ad Pœnitentiæ Sacramentum »solent accedere, hortari non desinant; vitam, quam sub »peccati jugo duxere miserrimam, illis aperiant; criminum »turpitudinem explicent: ut nimirum ex corde doleant, ac »se in posterum a peccatis recessuros seriò proponant. »Ratum quippe est, solida ac gravia Confessariorum hor»tamenta in Pœnitentiæ foro prolata, longe efficaciora esse »sacris Oratorum concionibus, ut pœnitentis animum a »vitiis avocent. Solent enim concionum auditores, quas »aure excipiunt increpationes, in alios potius quam in »seipsos transferre. Id vero fieri nequit in privatis Con»fessariorum monitionibus, quæ in unum ac individuum »pœnitentem cadunt, ac in illius faciem vibrantur, absque »eo quod aut crimina inficiari possit aut excusare. Nec »Confessarii reponant id fieri non posse, si frequentior »pœnitentium numerus suadeat brevitatem; jam enim dif»ficultatem dissolvit aurea illa S. Francisci Xaverii sen»tentia apud P. Tursellinum in ejus *Vita lib.* 6. *cap.* 17. »hisce verbis concepta: *Confitentibus porro, non festinatam,* »*sed diligentem navandam operam censebat, monens ut præ-*

»*optarent Confessiones paucas rite factas audire, quam mul-*»*tas temere properatas.*"

Cæterum, etsi Confessarius, per se loquendo, non teneatur omnes pœnitentes adhortari, consultum tamen est, ubi commode poterit, eos plerumque non sine exhortatiunculâ dimittere; siquidem adhortatio Confessarii ordinarie erit conducibilis.

Materia exhortationum.

72. — Materiam adhortationis præbet frequenter ipsa pœnitentis accusatio. Illi, qui jam contriti accedunt, animandi sunt ad gratitudinem erga infinitam Dei misericordiam, et ad perseverantiam in statu gratiæ. Ii, qui viam mandatorum divinorum custodiunt, ad virtutem exstimulandi et promovendi sunt; cumprimis laboret Confessarius ut pœnitentes assuescant omnia sua opera ad Deum referre, omnia de manu Ipsius acceptare, Ejusque voluntati æquo animo acquiescere; ad B. Virginem in necessitatibus magnâ cum fiduciâ confugere, et certis quotidie precibus, Rosario præcipue, eam venerari; examen conscientiæ quotidie facere; Sacramenta frequentare; Missam quotidie reverenter audire; liberorum et domesticorum sedulam curam gerere; hæc enim omnia sicuti magis ab ipsis requirit Deus, ita præ cæteris grata atque accepta Eidem erunt. Materiam quoque suppeditant circumstantiæ temporis, festivitates, quæ aguntur, obligationes ac pericula statûs, in quo pœnitens vivit, etc.

Dotes exhortationum.

73. — Quod modum attinet adhortationes faciendi, quatuor observanda sunt: 1° ut *breves* sint, ne tædium ac impatientiam, potius quam bonos fructus excitent; 2° *accommodatæ* ad indolem et statum pœnitentis; aliter enim alloquendi sunt conspicui quam plebeji homines, aliter docti et ingeniosi quam indocti et rudes, aliter pueri et juvenes quam viri et senes, aliter fœminæ quam masculi, aliter infirmi quam sani, aliter laici quam Clerici, etc.; 3° *efficaces*, i. e. solida motiva contineant, et cum fervore proferantur, adeo ut persuadeant et moveant; 4° *mansuetæ;* ex tono vocis eluceat quod Confessarius peccatoris misereatur, ejusque animæ saluti studeat, juxta monitum

Apostoli ad Gal. VI. 1: »Si præoccupatus fuerit homo in »aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi in»struite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne et tu »tenteris." Cavendum tamen ne sit sermo justo dulcior, imprimis ad puellas.

Specimina exhortationum.

74. — Ut Confessariis incipientibus adjumentum afferam, placet aliquas formulas exhortationum hìc ponere.

ADHORTATIO

peccatoris conversi pro prima vice.

Amice, age gratias amantissimo Redemptori tuo, quod per infinitam misericordiam suam iterum a peccatis, imo et ab inferno liberare te dignatus sit; sicut ergo tibi cum Maria Magdalena remissa sunt peccata multa, ita deinceps cum illâ Deum tuum diligere stude per exactam mandatorum Illius observationem. Speciatim autem stude vitio *ebrietatis* eradicando, utpote per quod in tam manifestum periculum damnationis præcipitaris; nam perpende quid tecum actum foret, si, quod facile fieri poterat, in ebrietate mortem obiisses? Noli ergo prodigere salutem tuam tam caro pretio comparatam. sed audi potius consilium Apostoli dicentis: »Fratres, sobrii estote et vigilate, quia »adversarius vester diabolus circuit quærens quem devoret." Hìc ad modicum tempus abstine a vili potu, ut merearis in æternum inebriari ubertate domûs Dei, et torrente voluptatis potari. Ita tibi ex animo voveo precorque. Vale et Deum pro me ora.

Alia similis.

75. — Bone vir, bene egisti, dum, sicut cum prodigo filio peccasti, ita cum eodem a Patre tuo cœlesti veniam petiisti. Superest nunc ut te pro tali gratiâ gratum exhibeas, et deinceps Patri tuo amantissimo tanto constantius adhæreas, quanto sæpius turpiusque Eum deseruisti. Præcipue vero da operam ut in *luxuriæ* vitium amplius non

labaris, utpote quod Deo tantopere displicere, et tam gravibus ab Eo pœnis, puta diluvio, sulphureo igne, etc. castigatum nosti. Eum in finem, si concupiscentia carnis te oppugnet, imaginare Christum flagellatum his te verbis compellare: »En fili, sic tua me luxuria tractavit; noli »multiplicare vulnera mea. Abstine nunc a tam fœda vo»luptate, et ego millies præstantioribus voluptatibus ani»mam tuam in hâc et in alterâ vitâ recreabo." Hoc medio si usus fueris, certam tibi victoriam spondeo, quam interea tibi ex animo exopto, et per preces meas et sacrificia impetrare non omittam.

Alia.

76. — Amice, non dubito quin difficilis tibi sit tuorum vitiorum (vel tuarum passionum) expugnatio atque victoria; quare ex animo tibi compatior; quia tamen ex officio ad tuam emendationem cooperari teneor, ideo per Sanguinem et Vulnera Christi te rogo ut tandem salutis tuæ rationem habeas, et summum tuum Benefactorem peccatis tuis offendere et lacessere desinas. Memento neminem Deo impune illudere; differt sæpe pœnam, sed tanto severius punit postea, quanto diutius pœnam distulit. Nec putes te in horâ mortis pœnitentiam acturum; »quia, ut loquitur »S. Augustinuns, (1) Deus conversioni tuæ indulgentiam »promisit; sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit:" Hodie si vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum, ne audias olim: »Vocavi te et renuisti; ego quoque in »interitu tuo ridebo," quod Deus clementissimus a te et me pariter avertere dignetur.

Alia.

77. — Amice, sat vides, credo, in quem miserum statum te per inveteratam peccandi consuetudinem præcipitaveris. Itaque omnipotentis Dei, cujus vices gero, auctori-

(1) Enarrat. in psalm. 144. n. 11.

tate et nomine serio te admoneo ut finem tandem peccaminosæ vitæ facias. Secus cave ne Christus dicat tibi aliquando tremendam illam sententiam: »Quoniam noluisti »Sanguinem meum pro salute tuâ usurpare, sit tibi in »perditionem sempiternam." Amice, averte tam horrendum fulmen seriâ vitæ emendatione et potius Christum per suum SS. Sanguinem tantâ charitate pro te profusum roga ut te virtute sui Sanguinis a relapsu in tam gravia peccata præservare dignetur.

CAPUT IV.

QUÆDAM OBSERVANDA IN ACTU CONFESSIONIS.

78. — Quæ hoc loco dicturi sumus, spectant ad locum et modum excipiendi Confessiones.

Locus sit Confessionale.

I. Quod *locum* attinet, Rituale Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 7--9. præscribit ut Sacerdos in Ecclesiâ, non autem in privatis ædibus neque in Sacristiâ, confessiones audiat, nisi ex causâ rationabili; quæ cum inciderit, studeat tamen id decenti ac patenti loco præstare. Propterea habeat in Ecclesiâ sedem confessionalem, in quâ sacras confessiones excipiat; quæ sedes patenti, conspicuo, et apto Ecclesiæ loco posita, crate perforatâ inter pœnitentem et Sacerdotem sit instructa. Improbandum omnino est in ædibus privatis confessiones fœminarum præterquam ægrotantium audire. In confessionali Confessarius superpelliceo et stolâ violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo. (1) Non decet confessiones fœminarum audire, ubi lux diei deficit, sed curet Sacerdos ut lumen prope confessionale apponatur.

Vestes sacræ.

Lumen.

Confessarius prompte accedat.

79. — II. Quantum ad *modum* se gerendi, sequentia notamus. 1° Rit. Rom. *loc. cit. n.* 6. hortatur Confessarium ut ad audiendam confessionem vocatus, promptum

(1) Idem statuitur tit. 1. n. 7.

facilemque se præbeat; ac priusquam ad audiendum accedat, si tempus suppetat, ad hoc ministerium recte sancteque obeundum, divinum auxilium piis precibus imploret. Hujus moniti momentum sic explicat S. Carolus Borrom. in suis *Instruct. Confess.*: »Quoniam in hujus Sacramenti minis»terio multa inveniuntur pericula, puta vel errandi in deci»sione casuum et obligationum, quæ occurrunt, vel abso»lutionis beneficium indignis conferendi, vel animam suam »aliquomodo inquinandi audiendo multas immunditias alio»rum; ideo nunquam Sacerdos se ad audiendas confessiones »accingat, quin prius, prout commoditas adest, brevi oratione »a Deo lumen et gratiam postulet ad non committendum »ullum errorem, et aliorum animæ sordes ita abluendas ut »suam non contaminet. Meminerit etiam pro eorum, quorum »confessiones auditurus est, sincerâ conversione deprecari: »quamobcausam quivis Confessor juxta se habeat infrascriptos »Psalmi 50 versiculos cum oratione antiquitus usitatâ in »Ecclesiâ, quorum unum exemplar affixum sit in Sacristiâ, »alterum in confessionali, ut priusquam confessiones excipiat, »has aut similes pro devotione orationes recitet."

Oratione se præparet.

℣. Cor mundum crea in me, Deus,
℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.
℣. Ne projicias me a facie tuâ,
℟. Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui,
℟. Et spiritu principali confirma me.
℣. Docebo iniquos vias tuas,
℟. Et impii ad te convertentur.
℣. Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ,
℟. Et exsultabit lingua mea justitiam tuam.

ORATIO.

Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut digne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam magnam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, et me exiguum humilemque, mediatorem con-

stituisti ad orandum et intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum pro peccatoribus, et ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque, Dominator Dominus, qui omnes homines vis salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant; suscipe orationem meam, quam fundo pro famulis et famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis spiritum compunctionis; resipiscant a diaboli laqueis, quibus adstricti tenentur, ut ad te per dignam satisfactionem revertantur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Modestiam servet.

2° Sic præparatus accedat modeste ad sacrum tribunal, ibique, dum officium suum exercet, modestiam singularem servet. Quapropter, si Sacerdos in omni suo commercio cum hominibus servare debet monitum S. Augustini (1): »Oculi »vestri etsi jaciuntur in aliquam fœminarum, figantur in »nullâ," in confessionali nunquam debet intueri in vultum pœnitentis, maxime alterius sexûs, ne confitens confundatur, et ne ipse delectatione illicitâ capiatur. Confessarius utatur auribus, non oculis. Præterea, in locis ubi sedes Confessarii apertæ sunt, Confessarius non circumspiciat huc illuc in aliorum adstantium vultum, ne aut illis incommodus fiat, aut tentationi vel suspicioni sinistræ semet objiciat; dum confessiones audit, faciem suam sudario obtegat, et manum, quam forte super genua depositam habet, quietam tenere assuescat, ne ullo signo aspicientibus suspicionem præbeat gravis alicujus peccati auditi.

Demisse loquatur.

3° Confessarius non altiori voce loquatur, ne forte adstantes peccata audire cogantur, et quod pejus est, ipsimet postea a confessione tali Sacerdoti faciendâ deterreantur.

Salebrosum negotium.

4° Si quando pœnitens accedat, quem Confessarius aliunde noverit implicatum esse negotio, occasioni proximæ, scandalo publico, aut simili, propter quod absolutio illi conferri nequit, expedit ut Confessarius statim hac de re

(1) Regula ad servos Dei, n. 6.

cum illo colloquatur, antequam confessionem incipiat, et conetur pœnitentem adducere ad satisfaciendum suæ obligationi; ne secus inutiliter ejus confessionem audiat, quin ipsum absolvere possit, et ne frustra sigilli vinculo se perstringat. (Reginald. *De prudent. Confess. cap.* 3. *n.* 1.) In Missionibus hujusmodi res, si publicæ sunt, a Parocho Missionariis referendæ sunt, et communi consilio agendi modus præfiniendus est.

PARS TERTIA.

De praxi servandâ in confessionibus particularium personarum.

Trademus quomodo Confessario agendum sit: 1° cum personis quæ variis vitiis obnoxiæ sunt; 2° cum personis, quæ ætate, sexu, vel statu diversæ sunt; 3° cum personis, quæ corporis vel animi conditione discrepant.

CAPUT I.

MODUS SE GERENDI ERGA VARIIS VITIIS OBNOXIOS.

Articulus I.

ERGA BLASPHEMOS.

Docentur malitiam blasphemiæ.

80. — Optandum esset ut omnes Sacerdotes essent zelo accensi ad exterminandas e linguis Christianorum quascumque locutiones contumeliosas in Deum. Præter monita practica, quæ dedi in Opere lib. III n. 67 in fine, alia quædam hoc loco adjungere juvabit.

Confessarius imprimis statuat ante oculos blasphemorum exsecrabilem malitiam hujus criminis, quo Divina Majestas

contemnitur. Blasphemiæ, formales nempe, satis demonstrant ad quam patriam pertineant peccatores; plurimum enim ejusmodi dicteria impia et sacrilega conveniunt cum maledictionibus reproborum in inferno; ideo, quod olim Petro fuit objectum: »Vere et tu Galilæus es, nam et loquela »tua manifestum te facit," idem blasphemo dici poterit: »Vere et tu reprobus es" etc. Deinde, cui bono inserviunt blasphemiæ? Non delectationi; quippe nullam afferunt. Non existimationi sibi apud alios comparandæ; nam, si infamis habetur, qui contumeliam infert Principi, quanto magis qui blasphemat Dominum omnium Principum? Non utilitati alicui; nam blasphemando non resarciunt dispendium, quod passi sunt. Blasphemi ergo sine ullo emolumento animam suam onerant tam immani crimine ut nec in ipso inferno inveniatur gravius.

Congrua pœnitentia ipsis imponatur.

81. — Concilium Lateran. V. *sess.* 9. denuntiat omnibus Confessariis, quod, si blasphemis non imposuerint congruas pœnitentias, seipsos illorum delictorum facturi sint participes. Quare, ultra pœnas consuetas, ipsis injungi potest ut tot vicibus recitent aliquam laudem divinam, e. g. *Gloria Patri* etc. aut *Laudetur Jesus Christus*, aut similem, ita ut reddant honorem pro contumeliâ.

Caveat Confessarius ab excusationibus eorum.

82. — Caveat Confessarius ne audiat excusationes blasphemorum tanquam legitimas: »Ego ejusmodi verba non »profero animo afficiendi Deum injuriâ, sed ex consuetu»dine, et iracundiæ commotione." Nam, quod ad iracundiam attinet, non desunt alia verba, quibus eam reprimant. Spectando vero consuetudinem, tenentur adhibere diligentiam ad eam exstirpandam; quod si non curent, blasphemiæ ipsis sunt voluntariæ, non solum in sua causa, quæ est prava consuetudo, sed ordinarie etiam in seipsis, cum rationis lumen non tantopere in blasphemis deficere soleat, ut non confuse gravissimam divino honori illatam linguâ suâ injuriam agnoscant.

Remedia eis præscribantur

83. — Remedia quoque præscribat Confessarius ad consuetudinem emendandam, nimirum ostendat pœnitenti blasphemiæ malitiam; suadeat illi ut quolibet mane serium

propositum non blasphemandi eâ die renovet; hunc in finem pariter recitet *Pater* et *Ave* in honorem S. Joseph, cum hâc precatione: »S. Joseph, nolo amplius blasphemare, »adjuva me"; suadeat illi ut pro singulis blasphemiis, quas forte prolaturus est, pœnitentiam sibi imponat, v. g. tenuem eleemosynam, actum contritionis, aliquam laudem Dei. Suggerat etiam pœnitenti locutionem aliquam innocuam, sed nervosam, quæ blasphemiis subrogetur.

Articulus II.

ERGA OBLIGATOS AD RESTITUENDUM.

Obligatio restituendi certa vel dubia.

84. — Tantus est affectus, quo homines adhærent pecuniæ, ut verissimum sit quod advertit Segneri, nimirum, inter fructus dignos pœnitentiæ restitutionem boni alieni esse ultimum qui maturescat. Ut porro Confessarius in hoc negotio tute procedat et remedia applicet, quæ conducant ad optatum fructum obtinendum, hanc distinctionem præmittimus: Obligatio, quâ pœnitens constringitur ad faciendam restitutionem, est manifesta vel dubia. Si est dubia, et Confessarius ex improviso litem dirimere non ausit, differat tantisper donec casum penitius examinaverit aut consilium exquisierit; attamen, si pœnitens commode nequeat redire, et vere appareat paratus ad præstandum id, ad quod obligatur, potest eum absolvere, datâ a pœnitente promissione se consulturum esse alium virum doctum et timoratum, hujusque decisionem exsecuturum. Si, factâ casûs disquisitione, obligatio maneat dubia, pœnitens ad restitutionem obligandus non est; quia in dubio favendum est possidenti, et obligatio dubia certam solutionem non exigit. Si obligatio restituendi certa est, et pœnitens, quamvis potens sit, difficultatem ostendit, Confessarius moneat illum peccatum non dimitti, nisi fiat restitutio; præterea, bona aliena possidenti nullam a Deo exspectandam esse benedictionem, ut experientia docuit multos; unde natum est proverbium: »Male parta male dilabuntur,"

et hoc alterum: »De male quæsitis non gaudet tertius »hæres."

Caveat Confessarius a prætextibus pœnitentium.

85. — Caveat Confessarius ne credulus sit quoad difficultates, quas ejusmodi pœnitentes opponere solent; alii nempe prætendunt impotentiam restituendi; sed sæpe est infirmitas voluntatis potius quam debilitas virium, quapropter Confessarius inquirat annon faciat pœnitens expensas superfluas, e. g. crapulâ. Alii omni contentione sollicitant dilationem; sed noverit Confessarius non esse in suâ potestate concedere moram; quia non solum illicitum est aliena subripere, sed æque vetitum est illa retinere; neque lex divina solummodo male parta reddi jubet, verum etiam præcipit ut quamprimum id fiat quod moraliter præstari potest, adeo quidem, ut, si nequeat restitui simul, reddatur per partes. Quare dispensare in istis ordinationibus, et indulgere moram ei, qui modo potest satisfacere suo debito, non est penes Confessarium, sed definitur a solâ et verâ necessitate; nisi tales adessent circumstantiæ, in quibus prudenter posset præsumere creditoris consensum, dilationem hanc non ægre ferentis.

Non facile absolvat eos ante restitutionem.

86. — Quod absolutionem attinet, si Confessarius absolvat, sponsione acceptâ restitutionis prompte faciendæ, casus erit admodum rarus ut promissum istud facto ipso impleatur; id experientia docebit quemque Confessarium, idemque testantur duo Missionarii valde experti, nempe P. Segneri et S. Alphonsus. Quodsi Confessarius decreverit impertiri pœnitenti absolutionem, persuasus bonâ voluntate quam præ se fert, præfigat ipsi temporis spatium, intra quod restituat, modumque, quo restitutionem peragat; nam promissiones indeterminatæ facilius intereunt. Qui vero rem alienam apud se detinet, ordinarie non est absolvendus, nisi prius restituerit; si namque Confessarius exspectaverit donec res aliena a pœnitente consumatur, atque ad sustentationem familiæ usurpetur, vix prudenter sperare potest secuturam restitutionem. Et, si antehac admonitus fidem datam culpabiliter fefellit, omnino differenda illi est absolutio; tum quia talis non potest prudenter judicari rite dispositus, juxta

S. Augustini sententiam : »Si enim res aliena propter quam »peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur »pœnitentia sed fingitur ;" (1) tum quia, tametsi bene esset dispositus et ex animo loqueretur, non debet ipsum Confessarius relinquere in proximo periculo relabendi in præteritam omissionem, sed, quando confessio dilationem admittit, debet eum constringere, atque, præmissâ debitâ restitutione, in tuto constituere. Hâc ratione Sacramenta fiunt salutaria et non perniciosa. Confer Opus nostrum lib. III. n. 351. qu. 2.

87. — Restat ut tria monita practica subjungamus. *Monita practica.*

1° Quando occurrunt graves difficultates cum ejusmodi tenacibus, qui magis a suâ possidentur pecuniâ, quam ipsi eam possident, Confessarius studeat illas difficultates expugnare *De oratione.* oratione. Similiter, si Confessario videatur pœnitens absolvendus sub promissione restituendi tempore debito, consultum est pœnitenti injungere vel suadere certas preces subinde recitandos ad impetrandam gratiam standi promissis.

2° Quando pœnitens est in bonâ fide, vel quia credit se *De bona fide.* nihil debere, vel quia existimat se solum teneri ad partem, non ad totum sive in solidum, vel quia judicat satis esse quod per plures solutiones restituat, quamvis per unam posset, si non adsit probabilis spes fructûs ex manifestatione veritatis, Confessarius relinquat ipsum in suâ ignorantiâ.

3° Quando ob incertitudinem creditorum restitutio *De restitutione pauperibus facienda.* solum facienda est pauperibus, fas est magis favere pœnitenti; quia probabilis est opinio pœnitentem his obligatum non esse lege naturali, sed positivâ tantum. Præterea Confessarius complanet ei viam, quantum potest, e. g. suadeat ei ut alicui inopi suo debitori condonet tantum, quantum tenetur elargiri pauperibus, siquidem facilius est cedere id, quod quis necdum habet, quam privare se illo, quod possidet; item, si summa restituenda permagna non sit, suadeat ipsi ut eum in finem applicet solitas eleemosynas, quæ fiunt in suâ domo.

---

(1) Epist. 153. cap. 6. n. 20.

Articulus III.

ERGÀ IMPLICATOS ODIO ET INIMICITIA.

Distinctione opus est.

88. — Si quis de odio se accusat, Confessarius inquirat an vero odio laboret; sunt enim qui de odio se accusent, et odio non laborent; sunt quoque, qui odium foveant, et tamen dicant, se iis, a quibus offensi sunt, cupere omne bonum. Si proximo communia et debita charitatis officia atque signa præstet, odio voluntario non laborat, etsi queratur se aversionem experiri contra illum; quapropter monendus est ut pro illo oret, defectus ejus excuset, apud alios bene de ipso loquatur, illius alloquium quærat; sic enim aversio, quæ silentio pressa fovetur et manet, dissipabitur. Si autem communia et debita charitatis signa et officia neget, odio laborat. Talis ergo interrogandus est an malum grave optaverit, an voluerit inferre? An gavisus sit de alterius malis, de bonis doluerit? An signa communia charitatis negaverit? Quoties tales actus moraliter interruptos repetiverit per hebdomadam, per diem? A quo tempore foverit odium?

Osores prudenter tractandi sunt.

89. — Homines odio et inimicitiâ implicati solent duri esse animo. Tractando pœnitentem ejusmodi, multâ patientiâ, comitate, et prudentiâ opus est. Idcirco imprimis caveat Confessarius ab omni verborum austeritate, ut nec umbra appareat quâ se advocatum partis adversæ ostendat; potius se ob acceptam injuriam pœnitenti compati benigne ostendat, sinat illum conqueri, exaggerare, neque facile in his eum gravis culpæ arguat. Maxime vero humanum ac suavem se præbeat, quando injuria est recens et injuriæ illator est improbus. Ratio horum est, ne pœnitens exasperetur. Deinde, Confessarius exponat pœnitenti motiva ignoscendi. Primum est necessitas ad salutem; non datur hic medium; aut ignoscendum est proximo, aut spes veniæ a Deo obtinendæ deponenda; aut vindicta dimittenda est, aut hæreditati cœlesti renuntiandum, quam Deus nemini largietur, qui ejus detrectat esse filius; Christus autem

Motiva ignoscendi eis proponantur.

edixit: »Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, »qui in cœlis est." (Matth. V. 44.) Secundum motivum est, quod, deposito odio, inventurus sit omne bonum, nempe delectabile, gloriosum, atque utile. Delectabile quidem, quia omnes, quotquot ante impertitam veniam in inferno vixerant, propter molestam illam torturam aversionis quam circumtulerant, fatentur postea quod sibi videantur degere in paradiso: »Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gau»dium." (Prov. XII. 20.) Gloriosum, quia talis victoria nobilissimum gratissimumque, quod Deo offerri potest, donum et sacrificium est, secundum verba a Christo laudata: »Diligere proximum tanquam seipsum majus est »omnibus holocautomatibus et sacrificiis." (Marc. XII. 33. 34.) Præterea est maxima apud omnes prudentes laudis materia. Utile demum, quia, qui cedit, januam aperit divinæ misericordiæ, qui vero obstinatus persistit, illam a semetipso excludit. Tertium motivum est exemplum Christi Redemptoris, qui cruci affixus oravit pro iis, qui ab Illo beneficiis affecti, nihilominus mortem Illi inferebant; quod exemplum secuti sunt tot Sancti, atque innumeri Christiani. Adhæc poterit Confessarius pœnitenti dicere: »Deus »toties tibi dimisit, desideratque ut remittas inimicis tuis, »an id Ei negabis? Christus oravit in cruce pro suis ini»micis, an exemplum hoc contemnes?"

Alia quoque media adhibenda.

90. — Præter motiva, alia quoque media adhibenda sunt, et suggerenda pœnitenti, deponendi odium; nimirum: 1° Oratio; primò quidem Confessarii ceu patris spiritualis partes sunt, suum pœnitentem ardenter commendare Deo; deinde pœnitenti ipsi injungat vel persuadeat ut per aliquod tempus quotidie a Deo postulet gratiam roburque seipsum vincendi, et procul dubio impetrabit, ut ait Dominus: »Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis »vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum »bonum petentibus se?" (Luc. XI. 13.) 2° Præscribat pœnitenti aliqua obsequia charitatis, e. g. ut aliquoties Deo ac B. Virgini commendet salutem sui inimici, curet pro ipso offerri Sacrificium Missæ, vel saltem audiat, eroget

certam eleemosynam, inimicum prius salutet. Hæc media injungi vel suaderi possunt tam illi, qui ignoscere renuit, ut resipiscat, quam illi, qui ignoscere se dicit, ut in conceptâ voluntate firmetur et perficiatur.

Si pœnitens vult pacem componere, Confessarius urgeat illum in hunc modum: »Adversarius nequit inspicere cor »tuum sincerum, proinde necesse est ut opere illud osten»das, talia edendo signa reconciliationis et remissionis, »quibus adversarius vicissim provocetur ad pacem, et scan»dalum aliis datum tollatur."

Raro continget ut, hisce adhibitis et repetitis industriis, Confessarius non cujuslibet demum expugnet animum, fide adhuc animatum. Quodsi nihilominus irritus fuerit conatus, Confessarius diligenter attendat, et plerumque deprehendet talem vitæ esse impudicæ; libido namque secum trahit iracundiam, cum summa illa mentis cæcitas, quæ est filia luxuriæ, sit mater furoris, atque communiter faciat ut, qui plus sunt effœminati, plus etiam sint efferati. Sed, quæcumque sit origo duritiæ pœnitentium, Confessarius nolit mox cœpto desistere, hortetur pœnitentem ut ad se redeat, et, si tandem animam lucretur, satis se laboris pretium reportasse existimet.

Articulus IV.

Erga infectos luxuria.

Curatio difficilis.

91. — Si difficile est homines eò adducere ut odium et inimicitiam deponant, operosius est luxuriæ vitium domare; nam ira et odium operatur adjuvante tristitiâ, ideoque subditos non habet nisi per vim, sed concupiscentia carnis jucunde decipit, et inde tot habet, qui se sponte subjiciunt, *adorant bestiam*, et tyrannidi ejus ultro se dedunt. Imo iniquitas ista adeo se nostris temporibus diffudit, ut magna pars hominum eam inter naturales debilitates numeret.

Motiva emendationis.

Curatio hujus morbi ordienda est a desiderio recuperandi sanitatem; ab iis enim, quibus infirmitas jam effecta est

connaturalis, facillimum est parvipendi sanitatem; et hinc primò necesse est ut magno desiderio eam expetant; alioquin remedia quæcumque alia irrita erunt. Porro, ratio concitandi hoc desiderium aptissima videtur, demonstrare lascivis istis damnationis periculum, quod incurrunt, nisi tempestive se corrigant, abstractis violenter a virulento calice labiis. Id declaratur in hunc modum. Salus animæ dependet a geminâ voluntate, Dei videlicet et hominis, ita ut quidquid reddit inefficaces has duas voluntates, etiam periculosam efficiat salutis consecutionem. Loquendo de voluntate divinâ, certum est Deum quodcumque peccatum mortale tantùm abominari quantùm amat se ipsum, nimirum modo infinito. Verum in nullum peccati genus abominationem hanc magis ostendit quam adversus peccatum libidinis; nullum quippe aliud tam horrendo, tam insolito, ac tam universali punivit supplicio, quam illud, quando diluvio delevit totum genus humanum, quia »omnis caro corruperat viam suam" (1). Peccatum istud effecit ut quodammodo pœniteret Deum unquam creasse hominem: »Pœnituit eum quod hominem fecisset in »terrâ;" (2) cor ejus afflixit dolore: »Tactus dolore cor»dis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi, a »facie terræ;" (3) conquestus est de homine: »Non per»manebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro »est", dum vidit, »quod cuncta cogitatio cordis intenta »esset ad malum omni tempore." (4) Mirum ergo non est, si Deus indignabundus luxuriæ immersis influxum gratiæ efficacis subtrahat. Ex alterâ parte, nullus est affectus vitiosus, qui voluntatem hominis fortius ligat, quam libido; tum quia ipsius actus sunt frequentiores, tum quia sunt intensiores; unde in hâc specie peccati citius generatur malus habitus, et homo his implicatus vinculis nonnisi magnâ cum difficultate se potest extricare. Mens in dies magis magisque excæcatur, voluntas quotidie fit debilior,

In genere.

(1) Genes. VI. 12. — (2) Ibidem. VI. 6. — (3) Ibid. 6. 7. — (4) Ibid. 3. 5.

itaque semper obtentu difficilior redditur salus, ac tandem cognoscitur quod vitium istud vere sit »puteus angustus;" (1) nam quantò facilius est in eum delabi, tanto difficilius est inde emergere.

Hujusmodi motiva curet Confessarius pœnitentibus proponere, neque omittat ipsis persuadere hanc veritatem, quod, quantò magis accumulantur peccata, tantò reddatur difficilior consecutio salutis; plures namque eorum credere videntur satis esse confiteri, quo facto, posse se libere nova peccata conjungere cum antiquis; ideo Confessarius exponat ipsis vim et robur pravi habitûs; quam vim sic nervose exhibet pius quidam Auctor: »Opus sequitur consuetudo, »consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, despe»rationem damnatio."

In specie. 92. — Hæc de luxuriâ in communi; de nonnullis speciebus in particulari pauca adjiciam. Quando Deus in sacris litteris voluit pravitatem idololatriæ explicare, usus est nomine fornicationis, quo vocabulo veluti teterrimo fere semper eam descripsit, e. g. Levit. XVII. 7. XX. 5. 6. Judic. II. 17. VIII. 27. 33. I Paral. V. 25. II Paral. XXI. 11. 13. Ezech. VI. 9. Osee. IV. 12. IX. 1. Propter unum adulterium Deus Davidem punivit bellis continuis per totam vitam suam; (2) insuper in Lege Veteri jussit adulteros morte plecti. (3) Quando Deus narrat peccatum mollitiei, detestabile appellat. (4) Sodomitas vocat homines pessimos, et peccatores nimios; in quinque civitatibus, quæ inventrices fuerunt horrendi istius sceleris, delevit et habitatores et domos, imo universam in circuitu terram, quæ antea paradisus videri poterat. (5)

Alia remedia. 93. — Quod attinet ad remedia adhibenda et modum agendi, lectorem remitto ad Opus meum lib. VI. Append. ad Sacr. Pœnit. vel ad *Fasciculum Theol. Mor.*, ubi ea abunde exposui. Præcipua sunt fuga occasionum, oratio, frequens Confessio et Communio, quippe quæ vires et robur suppeditant ad resistendum carnis illecebris, et modicum illud mellis, quod peccato admixtum est, respuendi.

(1) Prov. XXIII. 27. — (2) II Reg. XII. 10. — (3) Deut. XXII. 22. — (4) Genes. XXXVIII. 10. — (5) Genes. XIII. 13. XIX. 24. 25.

Nescio an his documentis aliam quoque subnectere ausim admonitionem ; sed avertat Deus, amice lector, ut unquam illâ indigeas. Quilibet Sacerdotem dedecet nævus, omnium vero maxime defœdat impudicitia ; hoc vitio infectus fit sal infatuatum, zelo viribusque destitutus, et gratiâ curationum privatus ad sanandos morbos spirituales, imprimis febrim hanc pessimam.

Articulus V.

ERGA LIBERALES NOSTRÆ ÆTATIS.

Necessitas tractandi de illis.

94. — Errores Liberalismi nostrâ ætate longe lateque diffusi sunt, ac plurimorum etiam Catholicorum animos deceperunt. Errores illos in libris et e suggestu improbare non sufficit, verum etiam in confessionali persequendi sunt ; secus impossibile erit pestem istam ex animis Catholicorum, magnatum præcipue, eradicare ; si namque, non obstante professione Liberalismi, ad Sacramenta admittantur, quinimo, si Confessarii in sacro tribunali de hâc labe altum silentium teneant, perinde ac si esset res non magni momenti, ejusmodi Catholici neque pravitatem Liberalismi agnoscent, neque necessitatem illum abjiciendi sentient, sed malum impune serpet. Quapropter oportet ut Confessarii errores illos intantum noverint, ut de Liberalismi labe, quâ forte pœnitentes sunt infecti, judicium prudens proferre valeant, normamque agendi habeant cum ejusmodi pœnitentibus. Utrique proposito pro modulo meo satisfacere conabor. Deinde non abs re erit quædam adjungere de cooperatione ad Liberalismum, deque mediis illum propulsandi.

Notio.

95. — I. **Notio Liberalismi.** Hanc notionem hausi ex Constit. Leonis XIII *Libertas.* 20 Junii 1888. Quò spectat in philosophiâ Naturalismus seu Rationalismus, eòdem in re morali ac civili spectat Liberalismus, qui posita a Naturalistis principia in mores actionemque vitæ deducit. Jamvero Rationalismus obedientiam divinæ æternæque rationi

debitam recusans, humanam rationem sui juris esse decernit, ipsamque solam proclamat summum principium, et fontem, et judicem veritatis. Ita Liberalismus in actione vitæ nullam contendit esse, cui parendum sit, potestatem, sed sibi quemque esse legem: unde ea doctrina morum gignitur, quam *independentem* vocant. Ex præmissis consequitur, sicut ratio singulorum sola dux et norma credendi atque agendi privatim est singulis, ita rationem universorum (1) esse oportere ducem et normam profitendi atque agendi universis in rebus publicis.

Radicali huic Liberalismo non omnes Liberales assentiuntur, sed plures eorum fatentur libertatem regendam rectâ ratione esse, atque adeo juri naturali sempiternæque legi divinæ subjectam esse oportere, legem autem positivam Dei, seu revelationem, nullam agnoscunt. Mitiores ajunt nutu omnium legum divinarum dirigendam utique vitam ac mores esse privatorum, non autem civitatis; in rebus publicis fas esse ad eas nullo modo in condendis legibus intueri. Propterea Liberalismus propugnat libertatem conscientiæ, cultuum, præli, docendi, consociationis.

Acceptus ut systema politico-religiosum Liberalismus proclamat separationem Statûs ab Ecclesiâ Catholicâ, illiusque indifferentiam circa varias confessiones religiosas. Nomine separationis ab Ecclesiâ moderni politici significant absolutum inter utramque potestatem divortium, sublatâ omni mutuâ concordiâ omnique mutuo auxilio, ita ut Ecclesia omni influxu, omnibus bonis, omnibusque externis prærogativis exspoliata vivat in abscondito, Status vero omnia regat ac si Ecclesia non exsisteret. Inde profitetur separationem matrimonii ab Ecclesiâ, et ejus subjectionem sub auctoritate civili; separationem scholæ ab Ecclesiâ, ejusque subordinationem sub directione auctoritatis civilis; abrogationem immunitatis Clericorum ab onere subeundæ exercendæque militiæ, etc.

---

(1) Aliis verbis dicitur opinio publica, suffragium universale, seu suffragiorum pluralitas.

Etiam hunc Liberalismum politico-religiosum non omnes Liberales profitentur eodem gradu, sed triplex distingui solet: 1° Liberalismus *radicalis*, qui independentiam Statûs adeo exaggerat ut Ecclesiam velit Statui subjectam, prout supra exposuimus. 2° Liberalismus *moderatus*, qui simplicem separationem Statûs ab Ecclesia et omni religione profitetur, secundum formulam notam: »Ecclesia libera in »Statu libero." 3° Liberalismus sic dictus *catholicus*, qui profitetur *ex rei naturâ* Religionem a civili Principatu non esse sejungendam, sed utramque potestatem debere nisu concordi humanam familiam ad veræ æternæque felicitatis assecutionem dirigere; *in hypothesi* tamen præsentis ætatis, attentis progressibus et hominum conditione, non amplius expedire illam conjunctionem cupere et tueri, sed approbandam et expetendam esse simplicem separationem cum libertatibus modernis inde profluentibus, præsertim cum libertate præli et cultuum. Probe notentur verba: APPROBANDAM *et* EXPETENDAM *esse separationem;* nam liberale non est, sed vere catholicum, profiteri hujusmodi libertates *tolerandas* esse ad vitandum majus damnum, sicut chirurgus suadet et exsequitur amputationem membri ad vitandam hominis mortem.

96. — II. **Malitia Liberalismi.** Hâc notione præmissâ, quid de Liberalismo censendum sit videamus. Porro, Liberalismi errores in quovis ejusdem gradu singuli damnati sunt infallibili Ecclesiæ auctoritate, tamquam errores perniciosi et catholicæ doctrinæ adversantes. Etenim Pius IX Constit. *Quanta cura*. 8 Dec. 1864 cum adjecto Syllabo errorum, damnando Liberalismum, etiam sic dictum catholicum, ex Cathedrâ locutus est, i. e. omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro supremâ suâ Apostolicâ auctoritate, doctrinam de fide vel moribus ab universâ Ecclesiâ tenendam definivit. (1) Quisquis ergo adhæret errori infallibili auctoritate damnato, graviter peccat contra fidem, quinimo nonnulli errores Liberalismi radicalis hæresim con- *Malitia.*

(1) Concil. Vatic. Constit. dogm. de Ecclesiâ. cap. 4. in fine.

tinent. Leo XIII in cit. Constitutione solidam Liberalismi confutationem exaravit. Deinde Liberalismus complanat viam ad sectam Massonicam, ut suâ sponte claret et experientia confirmat; nam quanto Liberalismus plures sectatores habet, tanto et secta Massonica magis accrescit.

Bona fides. 97. — Quæstio hoc loco resolvenda superest, nempe: *Utrum detur ignorantia invincibilis malitiæ Liberalismi?*

Resp. Dist. 1° Quoad Liberalismum radicalem, negandum est; quia hujus errores adeo sunt aperti, contra primaria etiam principia morum pugnantes, ut vel rudes eorum falsitatem ac impietatem nullo negotio agnoscant. 2° Quoad Liberalismum mitiorem, si rudes excipias, plerique, qui se dicunt Liberales, in malâ fide esse existimandi sunt, et tamquam in malâ fide constituti a Confessario tractandi sunt. Ratio est, quia documenta S. Sedis Liberalismum damnantia adeo propagata sunt, tanto strepitu tantâque contentione utrimque disputatum est de Liberalismi reprobatione, ut ignorantia invincibilis apud plerosque videatur moraliter impossibilis. Id maxime valet de omnibus illis, qui ratione officii tenentur novisse Liberalismi falsitatem ac damnationem; tales sunt inter laicos v. g. Reges, ministri et consiliarii, senatores, deputati, præfecti provinciarum et civitatum, judices, advocati, similesque officiales, qui in legibus condendis vel exsequendis partem habent; quibus adde ephemeridum redactores. Dixi *plerosque* in malâ fide versari; nam aliquot inveniuntur, qui Liberalismum mitiorem bonâ fide profitentur; tum quia suorum parentum, magistrorum, ac sociorum doctrinâ præventi ejusmodi Liberalismum innoxium judicant, tum quia distinguere nesciunt inter mali *tolerantiam* majus aliquod vel malum vitandi causâ, vel adipiscendi aut conservandi bonum, et mali *libertatem* quasi jure debitam.

Causa adhærendi errori. 98. — Causa facilis et pertinacis adhæsionis errori est odium veritatis; quocirca præ oculis semper habeamus sententiam Domini, quæ solutionem præbet ænigmatis cur odium pariat veritas in materiâ fidei et morum. »Dilexerunt »homines magis tenebras (errorum), quam lucem (veritatis);

»erant enim eorum mala opera. Omnis enim, qui male agit, »odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur »opera ejus." (Joan. III. 19. 20.) Mala opera, de quibus loquitur Christus, ea præcipue sunt, quæ ex concupiscentiâ voluptatum et licentiâ carnis proveniunt. Inde quoque effatum Psalmi LII. 1: »Dixit insipiens in corde suo: Non »est Deus"; corde nempe exoptavit et conatus est sibi persuadere Deum non esse, ut stimulus conscientiæ sopiatur, qui ipsi molestus est. Quam miserandi igitur sunt hodie tot aberrantes a verâ fide, et insanias sectantes! Propterea, cum amissio fidei ex corde depravato oriri soleat, disputatio cum ejusmodi hominibus plerumque nihil proficit, sed cor eorum convertendum est; id confirmatur exemplo eorum, qui in fine vitæ ad pœnitentiam confugiunt, quin opus fuerit eos de veritate fidei Catholicæ convincere. Recole dicta n. 67. 69.

99. — III. **Norma agendi.** Materia tractanda spectat officia Confessarii interrogandi, monendi, et absolvendi Liberales. *Norma agendi.*

Officium interrogandi.

Quær. 1° *An Confessarius teneatur aliquando interrogare pœnitentem de Liberalismi peccato?*

Resp. Affirm., sicut de aliis peccatis. Debet igitur de illo interrogare pœnitentem, 1° quisquis sit, sive rudis, sive doctus, sive princeps, qui tacet peccatum Liberalismi, cujus reus certo cognoscitur, puta ex scientiâ propriâ Confessarii vel ex publicâ notitiâ. Quodsi pœnitens interrogatus neget, et appareat formaliter mentiri, nullatenus est absolvendus. 2° Qui probabiliter putatur Liberalis aut Liberalismi fautor. Prudenter autem talis existimatur, si a multis gravibus viris talis habeatur, vel si ad cœtum pertineat liberalem, vel legat sine justâ causâ diaria vere liberalia; prudens enim dubium de indispositione pœnitentis morali diligentiâ resolvi debet. Si hujusmodi pœnitens serio neget se liberalem esse, ordinarie ipsi credendum est; sed, si adhuc ob circumstantias Confessarius graviter dubitet, vel absolvat pœnitentem sub conditione, si adsit gravis causa, vel differat absolutionem, si hæc dilatio pœnitenti non nociva judicetur.

Quod modum interrogandi attinet, Confessarius incipiat rogare v. g. an sentiat molestas aliquas tentationes contra fidem vel contra definitiones S. Pontificis; si pœnitens neget, roget ulterius; »Non es ergo sectator Liberalismi?" Ex responso patebit qualis sit; deinde, si opus sit, quærat annon legat diaria liberalia, societatem liberalem frequentet. Liberales formales interrogandi quoque sunt de oblocutionibus contra doctrinam ac præcepta Ecclesiæ, contra Ministros Ecclesiæ, de transgressione præceptorum Ecclesiæ.

Officium monendi.

Quær. 2° *An Confessarius teneatur monere pœnitentes Liberalismo infectos de Liberalismi malitiâ?*

Resp. Regulariter tenetur eos monere; tum quia raro sunt in ignorantiâ invincibili, tum quia errores Liberalismi admodum damnosi sunt; damnum nempe inferunt ipsis Liberalibus eo quod nimis tribuant rationi in detrimentum fidei; damnum inferunt familiæ, si Liberales patresfamilias sunt, nam liberalem tribuent educationem filiis suis; multum nocent bono communi, si Liberales sunt personæ publicæ, utpote quæ scandalum publicum præbent, dum magnâ auctoritate pollent ad Liberalismum propagandum. Neque negotium facessere debet ejusmodi pœnitentes a Sacramentis absterritum iri in posterum; nam finis monitionis est ut vel abstineant a Sacramentis, quorum receptione fidelibus præbent scandalum, vel peccatum Liberalismi relinquant.

Dixi: *regulariter;* quia pœnitentes, qui leviter tantum infecti sunt Liberalismo, possunt in bonâ fide esse, et, si ex monitione fructus non exspectetur, in bonâ fide relinqui. Potest interim Confessarius iis generatim inculcare necessitatem credendi doctrinæ Ecclesiæ, et obediendi omnibus præceptis ejus.

Officium quoad absolutionem.

Quær. 3° *An neganda sit absolutio propter Liberalismum?*

Resp. Juxta tradita de monitione, si, hâc factâ, pœnitens obedire renuat, et pertinaciter adhæreat Liberalismo, indignus est absolutione. Confessarius, qui ejusmodi Liberalismi sectatoribus absolutionem impertiret, scandalum præberet; nam confirmaret eos in Liberalismo, quasi non

esset tantum malum ut obstet receptioni Sacramentorum, et conniveret propagationi mali inter Catholicos, cum facile homines arbitrentur ea sibi licere, quæ ab his, qui Ecclesiæ Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertunt, inquit Bened. XIV in Constit. *Apostolica*. 26 Junii 1749. Cæterum maximâ semper charitate cum istis aberrantibus agendum est.

Animadvertat denique Confessarius plures esse errores Liberalismi, qui tamquam hæreses damnati sunt; unde, qui eos externe profitentur, obnoxii sunt excommunicationi speciali modo S. Pontifici reservatæ, dummodo nempe hanc pœnam iis adnexam esse norint.

Officium erga moribundum.

Quær. 4° *Quid faciendum sit Confessario vocato ad moribundum, qui inter primarios Liberales computatur?*

Resp. Dist. 1° Si moribundus sit jam sensibus destitutus, et ipse petierit Sacerdotem, vel signa coram aliquibus dederit desiderii Confessionis, absolvendus est saltem conditionaliter. Sub conditione quoque absolvendus est, etiamsi nulla *visa* in eo fuerint signa pœnitentiæ, modo tempore præsentis infirmitatis Confessionem expresse non recusaverit, antequam sensibus destitueretur. Casu porro, quo moribundus absolvi potest, Extrema Unctio quoque, si tempus suppetat, ipsi absolute administranda est, utpote in quâ major tunc est spes salvandi miserum ejusmodi peccatorem; hoc enim Sacramentum, supposità attritione, operatur, et reviviscit, ut diximus in Opere lib. VI. n. 354. et 367.

2° Si ægrotus loqui valeat, Confessarius incipiat eum excitare ad pœnitentiam; quod si ex sententiâ succedat, admoneat etiam de obligatione scandalum resarciendi, retractandique errores. Hunc in finem exigere debet ab ægroto, ut, sive per seipsum sive per Confessarium, profiteatur coram duobus saltem testibus se errores suos omnes ab Ecclesiâ vel S. Sede damnatos retractare, ac profiteri catholicam doctrinam integram, (1) vel saltem con-

(1) Si ægrotus adhuc scribere possit, præstaret ut subscribat formulæ retractationis, quam dabit Confessarius.

sentiat ut Confessarius suam retractationem divulget. Hisce præmissis, Confessarius audiat integram ejus confessionem, quantum tempus et ægritudo sinunt, illumque interrogare non omittat de Liberalismi errore, aliisque peccatis in muneris sui exsecutione commissis, cum talis conditionis vir in ignorantiâ invincibili esse præsumi non possit. Confessione peractâ, curet ipsum ad absolutionem disponere, quam absolute vel conditionaliter dabit, prout dispositio certe vel dubie adesse appareat. — Si, quod de tali publico Liberali timendum est, ille sit excommunicatione aliquâ irretitus, vel quia errores hæreticos palam professus est, vel quia tamquam Deputatus concurrit ad condendam legem contra Ecclesiæ libertatem, poterit in periculo mortis ab omnibus censuris absolvi, eo pacto ut, si censuræ sint speciali modo Papæ reservatæ, onus ipsi imponatur comparendi, cum convaluerit, coram Papâ vel alio a Papâ facultates habente, ad remedia opportuna adhibenda; quod tamen onus non debet necessario exprimi a Confessario, si certo judicetur ægrotus brevi moriturus.

3° Tandem, si ægrotus loquelâ destitutus sit, sed intelligat, quæ ipsi dicuntur, et nutibus respondere possit, Confessarius servet omnia supradicta, opportunas interrogationes faciendo et nutum ægroti exspectando; e. g.: »Consentis nonne ut dicatur te omnes errores Liberalismi »retractasse, et ut bonum Ecclesiæ filium velle mori?"

Cooperatio. 100. — III. **Cooperatio ad Liberalismum.** Multi inveniuntur homines, qui non sunt stricte Liberales in doctrinâ, in praxi vero plurimum Liberalismo favent ob cooperationem, quam ipsi præstant. Hæc cooperatio multis modis præstari potest, ac 1° quidem per *ephemerides liberales*, quæ tantam ubique animabus stragem afferunt; graviter nempe illicita est cooperatio, quam lectores, qui nomen iis dederunt, ipsarum editioni ac propagationi præstant, dum in eas aliqua commendatio ex lectorum multitudine derivatur, et ex horum pecuniâ earumdem publicatio sustinetur ac fovetur. Consule hâc in re Opus nostrum lib. VI. n. 330. vel *Fasciculum* n. 35. — 2° Per *electiones Deputatorum*

liberalium; de quibus tractavimus in Opere lib. III. n. 179. — 3° Per *Deputati officium*, suffragium dando legibus Liberalismo infectis, e. g. contra libertatem aut jura Ecclesiæ; quâ de re consule Opus loc. cit. — 4° Per *scholas publicas*, approbando scholas neutrales, vel ad eas mittendo filios suos; de hoc gravis momenti negotio egimus in Opere lib. VI. n. 333. seqq. et in *Fasciculo* n. 38. seqq. — 5° Per *festa et oblectamenta civilia*, quorum scopus est festis christianis civilia festa substituere, ope oblectamentorum vitam sensualem promovere moresque corrumpere, et hâc viâ fidem tandem ac religionem exstinguere.

101. — IV. **Propulsatio Liberalismi.** Hæc sunt præcipua, quibus homines mundani sive malitiose sive incaute cooperationem *positivam* præstant ad Liberalismum. Caveant autem Pastores Ecclesiæ, Concionatores, Confessarii, ne cooperatione *negativâ* Liberalismo conniveant; sed sciant se ex officio teneri, quantum in ipsis est, ad eruendos Catholicos a Liberalismi peste, quâ forte inficerentur, et ad impediendum quominus alii illius laqueis irretiantur. Hunc in finem debent avertere omnes a lectione liberalis cujuslibet diarii, a societatibus vel factionibus politicis Liberalismi principia profitentibus separare, ac demum ab adhæsione systemati liberali ab Ecclesiâ damnato præstandâ impedire; debent parentibus inculcare sollicitudinem pro christianâ educatione filiorum, et aversionem a scholis neutralibus, aliisque periculis fidei; debent pro virili parte adniti ut neque personæ honorabiles neque operarii ineant societatem secretam, ad quam a pravis sectariis alliciuntur; ut non concurrant ad eas domos ludricas, ubi prava diaria leguntur, sermones impii audiuntur, ludi inhonesti fiunt, unde maximum oritur periculum exuendi amorem familiæ, imbuendique se pessimo indifferentiæ spiritu, qui est omnium præsentium calamitatum origo. Excitent omnes viros sincere catholicos et influxu pollentes, ut singuli pro uniuscujusque viribus ad commune bonum laborent; alius ingenium scientiamque ad Ecclesiæ causam defendendam convertat, alius eloquentiam et facundiam, alius auctoritatem *Propulsatio.*

erga subditos et domesticos, vel influxum quo pollet in societate, alius divitias impendat ad promovenda pia opera, christiana instituta, scripta catholica, ac speciali modo, ob præsentem necessitatem, bona diaria; ut unusquisque opificibus, negotiatoribus, operariis, cunctisque catholicis potius faveat, quoad fieri possit, quam Liberalibus. Summopere quoque prosunt consociationes juvenum, artificum et operariorum, congressus catholici, quibus propositum sit fidem vitamque christianam retinere ac augere; at cavendum est ne in hujusmodi associationes ullâ ratione admittantur sic dicti Catholici Liberales, quos Pius IX falsos fratres appellabat, utpote qui dissensiones inter fratres spargunt, dissolvunt vigorem unitatis, hostiumque perversæ causæ, quin animadvertant, efficaciter favent.

Articulus VI.

ERGA MASSONES CONVERTI VOLENTES.

Notio. 102. — Ex sectâ massonicâ aliisque ejusdem generis sectis coalescit Synagoga Satanæ, quæ contra Ecclesiam Christi suas instruit copias ad eamdem debellandam atque ex orbe terrarum penitus delendam. Improbis sectis illæ quoque accensendæ sunt, quæ Communismum seu Socialismum profitentur, et contra legitimas potestates machinantur. Jam inde ab anno 1738 Romani Pontifices non omiserunt illarum sectarum consilia atque artes indicare, sectas ipsas condemnare, earumque sectatores excommunicatione punire. Cum nostra ætate nefaria secta Massonum Jesu Christi regnum majori audaciâ oppugnet, Leo XIII Constit. *Humanum genus.* 20 April. 1884 sectæ pravitatem denuo patefecit ac fuse prosecutus est, adeo ut nemo fidelium de iniquitate hujus sectæ ac de peccato eidem adhærentium dubitare valeat.

Remedia. Remedia tam gravi tamque pervagato malo applicanda sunt fere eadem, quæ contra Liberalismum indicavimus n. 101. De pœnâ excommunicationis contra sectam latâ

egimus in Opere lib. VII. n. 92. De absolutione a censurâ contractâ egimus ibidem n. 30—34.

103. — Ad scopum nostrum magis spectat disserere de officio Confessarii erga sectarios, qui cupiunt cum Deo ejusque Ecclesiâ reconciliari ac animæ suæ saluti prospicere. Quâ de re nonnullas quæstiones disceptabimus. *Norma agendi.*

Quær. 1° *Quomodo Confessarius generatim agere debeat cum sectario?*

Resp. Confessarius pœnitentem primò interroget an leges Ecclesiæ damnantes et excommunicatione plectentes societates secretas noverit. Si quando eveniat ut pœnitens eas invincibiliter ignoraverit, Confessarius eas docere debet, etiamsi pœnitens nunc non resipiscat; quia hæc cognitio semper proderit pœnitenti, utpote cui semper erit stimulus conscientiæ ad resipiscendum: interim tamen excommunicationis pœnam ignoratam non incurrit. Deinde, si pœnitens bene dispositus sit, Confessarius illi exponat ea, quæ de jure ipsi injungenda sunt; ad quæ si se paratum exhibeat, et aliunde nullam excommunicationem reservatam incurrerit, e. g. ob hæresim, potest Confessarius totam ejus confessionem excipere, eumque rite dispositum absolvere. Non omittat ejusmodi pœnitentem interrogare de hæresi et apostasia, de pravis libris et diariis, de machinationibus contra Ecclesiam et legitimas potestates, de transgressione præceptorum Ecclesiæ. — Sectarii, qui excommunicationem latam noverant, ei subjacent, et, nisi velint mandatis S. Sedis satisfacere, absolvi nequeunt. Confessarius, qui facultate absolvendi caret, eam facultatem et necessaria consilia ab Ordinario petat.

104. — Quær. 2° *Quænam injungenda sint sectariis, ut a censuris et pœnis ecclesiasticis absolvi possint?* *Injungenda sectariis.*

Resp. S. Pœnitentiaria sequentia exigere solet; 1° ut a respectivâ sectâ omnino se separent, eamque abjurent; 2° ut libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si quæ retineant, in manus Confessarii tradant, ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si justæ gravesque causæ id postulent, comburenda; 3° ut polliceant se sectæ

duces et magistros occultos intra mensem Ordinario loci, vel aliis, ad quos spectat, denuntiaturos esse; quod si culpabiliter et sine legitimo impedimento neglexerint, in excommunicationem reincidunt; (1) 4° ut acceptent pro modo culparum gravem pœnitentiam salutarem, cum frequentiâ sacramentalis Confessionis (2), aliaque de jure injungenda, v. g. reparationem damnorum, scandali, etc.

Damna timenda.

105. — Quær. 3° *Quid agendum sit Confessario, si pœnitentem pœniteat quidem adscriptionis sectæ, sed dicat nequire se publice sectam abjurare, quin gravissimis damnis, imo et vitæ periculo se exponat?*

Resp. Generatim loquendo, caveant Confessarii ne se erga hujusmodi peccatores duriores præbeant; nam ex unâ parte Massonum conversio difficillima est, ob nefaria, quibus obstringuntur, juramenta et sectarum statuta; ex alterâ parte, si a sectâ recedant sine ullâ causâ, quæ societati Massonicæ probabilis videatur, ipsa mors est recedentibus timenda. Propterea in casu satis erit abjurationem secreto facere in confessionali, et scandalum aliis modis reparare, nimirum christianam vivendi rationem ducendo, commercium cum sectariis dirimendo, eorum conventicula non amplius adeundo, uno verbo nullum faciendo actum professivum sectæ. Quodsi sectarius, etsi pœnitens, vellet adhuc ob metum externe cum sociis sectæ communicare, ex Responsis C. S. Officii 5 Julii 1837 et 27 Junii 1838 non potest absolvi, et absolutio, si daretur, esset invalida; quia satis non est quod quis erroribus suis interne renuntiet, cum eosdem externe profiteri videatur.

In periculo mortis.

106. — Quær. 4° *Quid facto opus sit, si sectarius versaretur in periculo mortis?*

---

(1) Quum hodie sectarii in omnibus fere regionibus publicâ libertate fruantur, Auctores moderni communiter tradunt legem denuntiandi fere ubique fine suo destitui, atque adeo denuntiationem omitti posse; nisi in aliquo casu particulari ob rationem boni publici jus naturale denuntiationem juberet.

(2) Exempli gratia, confessio menstrua, bimestris, ad tempus quod Confessarius pro prudentiâ suâ opportunum judicat, quo longius eo melius.

Resp. Confessarius debet, quantum tempus permittat, confessionem pœnitentis excipere, exigere ab eo retractationem errorum, quos habeat, et abjurationem sectæ; item, si tempus sinat, insignia et scripta massonica petere, et, ubi opus est, ipsi injungere ut nomina ducum, si quos novit, manifestet Ordinario communicanda; postea absolutionem ei impertiri cum aliquâ pœnitentiâ, quam implere commode potest, et, si tempus suppetat et utile videatur, declarare quid sibi esset faciendum, si convalesceret.

Operarii laborem intermittentes.

107. — Quær. 5° *Quid censendum sit de operariis, qui labores suos intermittunt, ut a dominis suis mercedem majorem extorqueant?*

Resp. Dist. 1° Si pertineant ad societatem secretam, v. g. ad Internationalem, tractandi sunt secundum regulas, quas de sectariis tradidimus.

2° Si ad societatem secretam non pertineant, operarii conspirantes tum solum a peccato immunes sunt, si a) de mercedis, quam accipiunt, insufficientiâ constet, et merces, quam exigunt, sit justa et ordinaria, ad quam domini tenerentur; b) mercedem debitam aliâ viâ obtinere nequeant; et c) absint prava adjuncta; qualia forent, si graves minas intenderent, injusta damna inferrent, seditionem facerent, socios gravi metu cohiberent a labore. Ratio est, quia, positis hisce conditionibus, operarii habent jus ad compensationem, non obstante contractu quem inierunt; sibi autem compensare mercedem debitam occulte subripiendo aut operam pretio æstimabilem intermittendo æquivalens est. Extra hunc casum, pactum initum violarent, et procul dubio peccarent contra justitiam; quod quidem in praxi compluries evenit.

3° Operarii, qui nonnisi ob gravem metum a sociis incussum intermittunt laborem, passive se habendo, a culpâ immunes sunt, ut claret, neque domini erga illos rationabiliter inviti esse possunt.

Quodsi operarii justo majorem mercedem vi extortam acceperint, tenentur excessum restituere; nisi dominus præ-

sumatur condonare iis, qui conspirationis participes non fuerunt. Confer in Opere lib. III. n. 489. qu. 4.

Articulus VII.

ERGA HÆRETICOS VOLENTES AD ECCLESIAM REDIRE.

Media conversionis.

108. — Quum non solum ad Pastores animarum, verum etiam ad Confessarios zelosos pertineat Dei gloriam, Ecclesiæ augmentum, et animarum salutem procurare, haud dubie optime facturi sunt, si errantes ejusmodi oves, datâ opportunitate, in ovile Christi reducere studeant. Quatuor fere sunt media, quæ hunc in finem adhiberi queunt, nempe 1° Oratio assidua, quâ lumen cœleste illis a Deo impetretur, ipsique etiam ad hoc petendum instigentur; Christus enim nos docuit: »Nemo potest venire ad me (et »ad Ecclesiam meam), nisi Pater, qui misit me, traxerit »eum." (1) 2° Ad fugam peccati, datâ occasione, eosdem animare; nam, ut bene vetus quidam auctor advertit: »Quamdiu lumen justitiæ in homine fuerit, tenebræ eum »non apprehendunt; secus vero, si illud ablatum fuerit; »quia non error generat peccata, sed peccata generant er»rorem." 3° Inductio eorum ut ecclesias nostras frequentent et conciones audiant; ut libros catholicam doctrinam exponentes legant; hoc medio namque spes est fore ut præjudicia sua corrigant et errores suos in dubium vocent. 4° Amica conversatio cum ipsis, quâ paulatim ad suos errores detegendos inducantur, et, occasione datâ, interdum eorum falsa dogmata non directe statim impugnentur, sed solummodo ostendatur ob quas causas ea creditu difficilia videantur; sic enim de veritate suorum dogmatum paulatim iterum dubitare incipient et salutares scrupulos concipient. Hæc media prodesse possunt pro conversione eorum hæreticorum, qui adhuc aliqua christianæ fidei dogmata profitentur; conversio vero illorum hæreticorum moderno-

(1) Joan. VI. 44.

rum, qui omnem christianam fidem, divinitatem etiam Christi, abjecerunt, et ad purum Rationalismum transierunt, difficillima et rara est; si qui horum instructionem cupiant, cum ipsis incipiendum esset a demonstratione divinitatis Christi; hæc optime demonstratur ex libris Evangelii, quorum veritas historica in dubium vocari nequit.

Norma agendi.

109. — Conducibile esse existimavi hoc loco docere quomodo animarum Pastori vel alii Sacerdoti agendum sit cum hæreticis, qui, jam concepto proposito Catholicam fidem amplectendi, ultro ad ipsum veniunt, et ab eo instrui petunt. Idcirco exponemus 1° quænam cautelæ cum iis adhibendæ sint, 2° quomodo sint instruendi, 3° quomodo sint proxime præparandi, 4° quomodo in sinum Ecclesiæ recipiendi, 5° de eorum Confessione et Communione.

Cautelæ. Motivum indagandum.

I. **Cautelæ adhibendæ.** 1° Si quis catholicam fidem amplecti, et instrui desideret, magnâ charitate et benevolentiæ significatione excipiendus est, et amice interrogandus quomodo hæc ei gratia obtigerit, quâ de causâ religionem suam velit deserere atque catholicam amplecti. Quamcumque afferat, cautelâ opus est, quia dantur homines fraudulenti, qui sub velamine pietatis quærunt, non veritatem ac salutem animæ, sed commoda temporalia, puta matrimonium, sustentationem, hisque obtentis, postea male vivunt, et non raro ad vomitum revertuntur, ut docent exempla tam in Judæis quam in hæreticis. Propterea aperte ei significandum est in reditu ad veram Ecclesiam Christi unice quærendum esse Regnum Dei, veritatem scilicet ac salutem animæ, reliqua vero a Deo cum fiduciâ exspectanda esse, qui quærentes ac diligentes se non deserit; proinde, si hæreticus pauperem se dicat mediisque se sustentandi destitutum, auxilium in temporalibus non statim ei promittendum est, donec de rectâ suâ intentione argumentum habeatur.

Sinceritas exploranda.

2° Ne Sacerdos decipiatur vel postea traducatur, per varias quæstiones diverso tempore factas experiatur num dicta hæretici inter se cohæreant, nonnisi bene exploratum aliis commendet, non se illi familiarem præbeat, nihil

in privatâ conversatione dicat aut agat, quod dictum aut factum nollet, si ad hæresim forte redeat.

Fiducia concilianda. 3° Fiduciam hæretici Sacerdos sibi conciliare nitatur, ut ille suos errores et vulnera libentius sinceriusque aperiat, seque totum instructoris sui directioni committat. Propterea etiam causam quod hactenus hæresi suæ adhæserit, ignorantiæ potius quam pertinaciæ aut alii inordinato affectui adscribat.

Fides magni facienda. 4° Hortandus est hæreticus ut negotium hoc, utpote in quo cardo salutis æternæ versatur, magni faciat, Deoque per fervidas preces frequenter commendet, necnon bonis operibus a divinâ Misericordiâ felicem successum consequatur. Idipsum etiam ipse Sacerdos in SS. Missæ Sacrificio aliisque precibus faciat; alios etiam, ut hoc negotium Deo commendent, amice exoret.

Instructio. 110. — II. **Instructio danda.** Si hæreticus bonam opinionem præbeat de suâ dispositione et secuturâ constantiâ, Sacerdos operam suam ad instructionem liberaliter eidem offerat. In instructione observare studeat quæ sequuntur.

Hæreticus formalis et materialis. 1° Ante omnia indagandum est an fuerit hæreticus materialis tantum, an vero formalis. Formalis est, qui adhæret errori contra veritatem fidei catholicæ, postquam hanc sufficienter sibi propositam agnovit. Materialis est, qui adhæret tali errori ex simplicitate, ignorantiâ, sinistrâ informatione, actu vel habitu paratus errorem deponere, si agnosceret veritatem. Quodsi dubium prudens stimulet conscientiam, tenetur inquirere, lumen implorare divinum, paratusque esse ad amplectendam veritatem cumprimum eam satis agnoverit; aliàs, si sic constitutus esset ut agnitam veritatem nollet amplecti, fit pertinax atque adeo hæreticus formalis. Cfr. Opus lib. II. n. 14. seqq.

2° Inquirendum est quantum in doctrinâ suæ sectæ sit instructus, et num adhuc dubia habeat circa doctrinam catholicam; ut cognoscat Sacerdos quibus erroribus et dubiis hæreticum eximere debeat. Duo namque sunt hæreticorum, qui convertuntur, genera. Unum est hominum simplicium et rudium, qui indigent bonâ instructione in doctrinâ

christianâ, sed quoad controversias fidei caute informandi sunt, ne plures errores discant quam antea habuerint. Alterum est peritiorum, quibus satisfaciendum est circa omnes articulos, quos contra fidem catholicam tenuerunt; hi proinde ita instruendi sunt ut tam internis quam externis tentationibus possint resistere.

Motiva credibilitatis.

3° Cum fides debeat esse assensus prudens et super omnia firmus, ideo Sacerdos acturus cum hæretico imprimis illi ostendere debet credibilitatem nostrorum dogmatum; quæ quidem credenda sunt, si Ecclesia Catholica sola est vera Ecclesia Christi. Hinc Sacerdos non descendat statim ad dogmata particularia expendenda, sed prius ostendat veram Christi Ecclesiam. Ideo ostendat *a*) veram fidem necessariam esse ad salutam. *b*) Nonnisi unam esse veram Religionem et Christi Ecclesiam; quia vera Religio debet esse a Deo; contradictoria autem nequeunt esse a Deo revelata, neque ambo esse vera. *c*) Illam Ecclesiam debere certis notis, ex quibus discernatur a falsâ, insignitam esse; quia tenemur ejus doctrinam amplecti et sequi. *d*) Notas autem veræ Ecclesiæ Christi esse quod sit una, sancta, catholica, et apostolica. *Una* debet esse unitate doctrinæ; quia doctrinæ oppositæ a Deo esse non possunt. Una unitate Capitis; quia secus unitas doctrinæ conservari non posset. *Sancta* debet esse sanctitate doctrinæ, quippe quæ a Deo est, et ad veram sanctitatem debet hominem ducere, ut Deo fini suo conjungatur. Sancta sanctitate causali Sacramentorum, quibus homines sanctificantur, et velut signis stabilibus in unum cœtum fidelium adunantur. Sancta sanctitate membrorum, hominum nempe qui sanctam sequuntur doctrinam, et ideo sanctam ducunt vitam. *Catholica* i. e. universalis; quia Christus prædixit doctrinam suam per universum mundum esse propagandam, et nunquam defecturam esse. *Apostolica* tum in doctrinâ fidei, quæ debet esse eadem, quam Apostoli tradiderunt; tum in successione Pastorum ab Apostolis sine intermissione descendentium; aliàs Christi fides non perseverasset. *e*) In verâ Christi Ecclesiâ debere esse judicem infallibilem controversiarum in rebus fidei et morum;

aliter Christus Ecclesiæ suæ non satis providisset, facile deficeret ab unitate et sanctitate doctrinæ, et post ortas tot hæreses et opiniones diversas, nesciremus quid tenendum, quid rejiciendum esset; in multis non intelligeremus verum Scripturæ sensum, neque possemus discernere quinam libri Scripturæ sint a Spiritu Sancto inspirati qui vero non, imo ne constaret quidem Scripturam esse verbum Dei. Demum ostendendum est enumeratas notas soli Ecclesiæ Catholicæ convenire; judicem infallibilem non apud hæreticos esse fatentur ipsimet, eum autem Catholici habent, nempe Vicarium Christi, S. Petri successorem. Hisce præmissis, ultro consequitur particulares fidei articulos accipiendos esse juxta sensum Ecclesiæ Catholicæ, adeoque credenda omnia esse, quæ illa credenda proponit. Hæc optima methodus est hæreticum convincendi, præsertim si sine altercatione modeste per discursum ista proponuntur, et ipsi relinquantur consideranda, implorato lumine divino, conceptâque contritione de peccatis, cum proposito sincere Deo serviendi.

Doctrina christiana.

4° Postquam hæc stabilita sunt, hæreticus docendus est doctrinam christianam seu catechesim, eos præsertim articulos, in quibus catholici ab hæreticis discrepant, puta de bonis operibus, de numero Sacramentorum, de reali præsentiâ Christi in Eucharistiâ, de purgatorio, de cultu Sanctorum, de Romano Pontifice quod sit Vicarius Christi, Caputque Ecclesiæ, atque infallibilis in doctrinâ fidei et morum, sine quo unitas Ecclesiæ exsistere nequit.

Præparatio.

111. — III. **Præparatio proxima.** Ubi plene instructus erit in rebus fidei, præparandus est ad Baptismi susceptionem, si nimirum baptizandus sit, ad Confessionem, et ad Communionem rite suscipiendam, atque ad Professionem fidei emittendam. Quapropter explicandæ illi sunt Sacramenti Pœnitentiæ partes et fructus. Cum autem ejusmodi neo-conversi confessionem plerumque vehementer reformident, omnis diligentia adhibenda est ut illi eximatur talis formido; ideo exponatur illi obligatio sigilli Sacramentalis, doceatur confusionem illam, quam Deus voluit nos subire peccata

nostra confitendo uni homini, esse partem pœnitentiæ et satisfactionis, nec mirum esse si forte in multis deliquerit, cum caruerit Sacramentis Pœnitentiæ et Eucharistiæ, aliisque auxiliis, quæ fidelibus subministrari solent. Ob eumdem finem, quamvis monendus sit ut examen conscientiæ instituat percurrendo præcepta Decalogi, occasiones et negotia sua, utque peccata, quæ, adhibitâ morali diligentiâ, memoriæ occurrerint, confiteri non erubescat, simul tamen monendus est ne se in hoc examine cruciet, sed Confessario, qui suppleturus est, sincere respondeat. — De S. Communione docendus est debitam præparationem et gratiarum actionem, necnon fructus bonæ Communionis. — Denique danda illi est formula Professionis fidei proprio idiomate, eaque explicanda est.

112. — IV. **Receptio in sinum Ecclesiæ.** Det operam Sacerdos ut non admittat publice in sinum Ecclesiæ hæreticos, nisi prius bene exploratæ sint illorum scientia et firmitas in Religione, ne incauta admissio eorum cedat in ignominiam Religionis Catholicæ, si non perseverent in susceptâ fide, aut non christiane vivant. *Receptio.*

Si hæreticus *absolute* baptizatur, vel *nullatenus*, expedit, si nihil obstet, ut ejus receptio in gremium Ecclesiæ fiat *publice; secreto* vero, adscitis paucis testibus, si *sub conditione* rebaptizatur.

Triplex porro in conciliandis hæreticis distinguitur procedendi methodus: 1° Si Baptismus absolute conferatur, nulla fit a neo-converso abjuratio hæresis, nec ei datur absolutio, eo quod omnia abluat Sacramentum regenerationis. 2° Si Baptismus sit sub conditione iterandus, primò fit abjuratio hæresis seu professio fidei linguâ vernaculâ, deinde confertur Baptismus conditionalis, postea datur absolutio ab excommunicatione pariter sub conditione. 3° Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma in hæresi susceptum, sola recipitur abjuratio hæresis seu professio fidei, quam absolutio a censuris subsequitur. Notandum est, ab adolescentibus, qui annos pubertatis seu quatuordecim annos nondum attigerunt, exigendam non esse abjurationem hæ-

resis, nec eis dandam esse absolutionem a censuris, utpote quas nondum incurrerunt, sed exigendam ab eis esse solam professionem fidei catholicæ antequam admittantur ad Sacramenta; pro hujusmodi adolescentibus sufficere videtur Symbolum Apostolorum; ab iis vero, qui illam ætatem excesserunt, formalis sectæ abjuratio, ad quam pertinuerint, est exigenda. Ita Instruct. S. C. Inquis. 20 Julii 1859 et 20 Nov. 1878.(1)

Ad quem de jure recurrendum sit.

113. — Adhæc animadvertenda supersunt: 1° Tametsi hæreticus *materialis* a quovis Confessario pro foro interno absolvi possit, quia tamen hæc res sat gravis est, et Confessarius in judicio suo facile falli potest, ideo consultius est ut securiori viâ procedat, et, si facultatem non habeat absolvendi ab hæresi, delegatam facultatem ab Episcopo petat. Pro foro externo facultas semper petenda est.

2° Quandocumque hæreticus conversus baptizari debet, admissio ejus ad Ecclesiam eâ de causâ pertinet ad jura Parochi loci. Pro iteratione Baptismi sub conditione, oportet consulere Ordinarium. An de cætero pro admissione acatholici ad Ecclesiam semper recurrendum sit ad Episcopum, attendenda est praxis diœcesis.

Forma abjurationis.

3° Perutile fore existimavi hoc loco subjungere normam aliquam, quæ in receptione hæreticorum servari potest.

MODUS

in gremium Ecclesiæ admittendi eos, qui ab hæresi ad fidem Catholicam convertuntur.

Superpelliceo et stolâ violacei coloris indutus Sacerdos opportunis instructus facultatibus, et neo-conversus genuflectunt coram altari; atque duobus cereis accensis et ad minimum duobus testibus adhibitis, dicitur Hymnus:

»Veni Creator Spiritus," etc.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

---

(1) Bucceroni. *Enchirid. pag.* 84.

℣. Domine, exaudi orationem meum.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Postea Sacerdos sedet in medio altaris (in cornu Epistolæ, si Sanctissimum in altari asservetur), dum neo-conversus coram illo genuflexus et manu dextra sanctum Evangeliorum librum attrectans, emittet professionem fidei; vel, si nesciat legere, Sacerdos prælegit eidem tarde professionem, ut conversus eamdem intelligere et cum Sacerdote distinctis verbis pronuntiare possit.

Fidei professio. (1)

Ego N. N. annos..... natus, coram te a R^mo^ Ordinario Delegato genibus provolutus, et sacrosanctum Evangeliorum librum manu attrectans, cum probe sciam neminem posse salvum fieri extra fidem, quam sancta, catholica et romana Ecclesia tenet, profitetur, et docet, sincere doleo quod ab hac fide multum defecerim, quippe qui opiniones tenui quæ Ecclesiæ doctrinæ adversantur.

Impræsentiarum, divina gratia collustratus, credere me profiteor, sanctam, catholicam, apostolicam et romanam Ecclesiam esse unicam et veram a Jesu Christo in terris institutam Ecclesiam, cui me toto corde subjicio. Quos fidei articulos ipsa mihi credendos proponit, hos ego firmiter credo. Quidquid autem ipsa reprobat et condemnat,

(1) Hæc professio fidei data est a S. C. S. Offic. 20 Julii 1859 in Instructione pro Americâ. Non alia est quam formula Piana decurtata, et hæreticis accommodata. Tenor Instructionis clare innuit eam ubique adhiberi posse; nisi obstet lex diœcesana. Confer Collect. Lacens. tom. 3. pag. 551.

hoc et ego reprobo et damno; sumque paratus exsequi quæcumque ipsa mihi facienda præcipit. Signanter vero sequentia puncta credere me profiteor, scilicet:

Deum unum in essentia et trinum in distinctis æqualibusque personis, quæ Pater et Filius et Spiritus Sanctus nominantur;

Doctrinam catholicam de Incarnatione, Passione, Morte et Resurrectione Domini nostri Jesu Christi; utriusque naturæ, divinæ nimirum et humanæ, in eo hypostaticam unionem; divinam Beatæ Virginis Mariæ cum integerrima ejus Virginitate conjunctam Maternitatem, immaculatumque insuper ejus Conceptum;

Veram, realem substantialemque Corporis Domini nostri Jesu Christi præsentiam una cum ejus anima et divinitate in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento;

Septem a Jesu Christo Domino nostro ad salutem humani generis instituta Sacramenta, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium.

Credo insuper Purgatorium, resurrectionem mortuorum, et vitam æternam.

Credo, non solum honoris, verum etiam jurisdictionis Primatum esse penes Romanum Pontificem, Beati Petri Apostolorum Principis Successorem ac Jesu Christi Vicarium.

Credo impertiendum esse cultum Sanctis eorumque imaginibus.

Credo apostolicarum ecclesiasticarumque Traditionum et Sacræ Scripturæ auctoritatem, juxta sensum quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia, cujus solius est de eorum sensu atque interpretatione judicare.

Credo item cætera omnia, quæ a sacris Canonibus, œcumenicis Conciliis ac præcipue a sacrosancto Tridentino Concilio atque ab œcumenico Concilio Vaticano definita fuerunt ac declarata.

Propterea, animo sincero, fide non ficta, omnem errorem, hæresim et sectam, supradictæ catholicæ, apostolicæ et romanæ Ecclesiæ contrariam, detestor atque ejuro.

Ita me Deus adjuvet et sancta hæc, quæ manu tango, Dei Evangelia.

Ego N. N. propria manu subscripsi hanc de sincera mea conversione et in veræ Ecclesiæ sinum regressione schedulam, quam clarâ voce pronuntiavi.

Neo-conversus subscribet abjurationis actum, vel, si scribere nesciat, crucis saltem signum apponet. Postea, neo-converso genuflexo manente, Sacerdos sedens dicit Ps. Miserere, *sive* De profundis, *cum* Gloria Patri *in fine. Quo finito, Sacerdos stans dicit:*

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvum fac servum tuum (ancillam tuam).

℟. Deus meus, sperantem in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, te supplices deprecamur, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam), quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Dominum nostrum.

Mox sedet Sacerdos ad profitentem conversus, et capite cooperto eum ab hæresi absolvit sequenti forma.

Auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis quam (1) incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis, Commu-

(1) In dubio gravi aut levi num pœnitens excommunicationem incurrerit per hæresis professionem, Sacerdos hic inserat vocabulum *forsan.*

nioni et Unitati fidelium, in nomine Patris et Filii † et Spiritus Sancti. Amen.

Deinde abjuranti aliquam pœnitentiam salutarem injungat, e. g. aliquas preces, visitare ecclesiam, aut similia.

Postea ipse abjurationis formulam his verbis subscribet:

Mandatis R^mi Ordinarii obsecutus, supradictum N. N. ad hoc delegatus reconciliavi Ecclesiæ, servatis servandis, die . . . anno . . .

Subscribent delegatus et duo testes. Postremo delegatus abjurationem peractam in registrum abjurationum, vel, si desit, in librum baptismalem notabit. Professio fidei rite subscripta ad Ordinarium mittitur, vel asservatur in archivo ecclesiæ, prout Delegans præscripserit.

Confessio et Communio.

114. — V. **Confessio et Communio.** Post receptionem in sinum Ecclesiæ, si neo-conversus vel non fuit rebaptizatus, vel rebaptizatus fuit sub conditione, tenetur peragere confessionem integram peccatorum præteritæ vitæ, et danda illi est absolutio modo sive absoluto sive conditionali, prout Baptismus vel non fuit iteratus vel iteratus fuit sub conditione, uti constat ex Declaratione S. C. Inquis. 17 Dec. 1868. Potest etiam confiteri ante Baptismum sub conditione iterandum, et deinde post Baptismum, repetitâ summariâ confessione, sub conditione absolvi, ut declaravit S. C. Inquis. mense Nov. 1875. (1)

In ipsâ confessione excipiendâ Confessarius neo-conversum benigne tractet, adimat illi, quoad fieri possit, omnem timorem, dicat ei omnia peccata ejus modo esse delenda, ipsumque jam futurum esse filium Dei et hæredem cœli. Pœnitentem adjuvet suis quæstionibus, sed caveat ne examen rigidum instituat; imprimis inquirat num fuerit hæreticus materialis an vero formalis; si fuerit formalis, inquirat a quo tempore talis fuerit, an putaverit peccare non servando præcepta Ecclesiæ; an dixerit blasphemias, vel calumnias contra Ecclesiam Catholicam; an alios perverterit; si fuerit dubius de suâ religione, interroget an

(1) Revue théol. 1880. pag. 580.

et quamdiu contempserit vel neglexerit inquirere veritatem. Si pœnitens multa et gravia peccata commiserit, caveat Confessarius ne rigidâ reprehensione castiget ea, sed potius, collaudans generosam suî victoriam in iisdem enarrandis, suaviter eumdem adhortetur ut, sicut amodo veram fidem christianam profitebitur, ita vitam quoque tali nomine dignam per constantem vitiorum fugam et bonorum operum ferventem exercitationem instituere conetur. Pœnitentiam quoque ab initio non admodum gravem imponat, ne pœnitens absterreatur. Demum absolutionem ei conferat.

Post Confessionem, si fieri commode queat, nec ipsi neo-converso grave videatur, sub Sacro publico sacram Communionem accipiat. Postremo, omnibus absolutis, gratulandum ei erit amicis verbis ob acceptum reconciliationis beneficium, et satagendum deinceps ut perseveret.

Hæreticus moribundus.

115. — **Quæstio.** *Quid agendum sit Sacerdoti, si adsit hæretico ad extrema deducto, qui tamen conversionis ad fidem catholicam spem non ostendit?*

Resp. Incipiat blandâ allocutione benevolentiam infirmi sibi conciliare, deinde sermonem divertat ad salutem animæ. Ad hanc, quoad fieri possit, procurandam, ab eo eliciat primò in genere actum fidei circa omnia a Deo revelata, in specie circa necessaria necessitate medii credenda; tum actum spei, contritionis, resignationis. Deinde quærat an, si sciret se non credere aliquid, quod Deus revelavit, vellet hoc credere, et reapse credat? Annon vellet facere omnia ad salutem necessaria? Si hisce omnibus annuat, sunt qui dicant infirmum in hâc extremitate absolvi posse sub conditione, formâ clam sine ullo signo pronuntiatâ. Huic tamen opinioni acquiescere non valeo; quia voluntas *conditionalis* confitendi non est reapse confessio, atque adeo prorsus deesse videtur materia Sacramenti. Confer Opus lib. VI. n. 196. qu. 4. 5.

Articulus VIII.

ERGA REOS IN CARCERE DETENTOS.

Reis operam dare meritorium est.

116. — Si captivos redimere a captivitate hominum est opus meritorium misericordiæ corporalis, quanto majus erit meritum operis misericordiæ spiritualis, quo Confessarius suo ministerio eosdem redimit a captivitate dæmonis? Ut Confessarium in hoc officio adjuvemus, enarrabimus 1° quænam cautelæ cum reis adhibendæ sint; 2° quomodo cum illis generatim agendum sit; 3° quomodo cum capite damnatis.

Cautelæ adhibendæ.

117. — I. **Cautelæ adhibendæ.** 1° Confessio captivorum ordinarie excipienda non est antequam instructio judicialis ad exitum perducta fuerit; ob justum timorem ne desit sinceritas. Secus tamen, si reus delictum suum jam coram judice fassus est; tunc quippe nihil obstat Confessioni Sacramentali.

2° Confessarius captivorum curet ut habeat jurisdictionem ad omnes casus reservatos.

3° Ut rei confidentius secum agant, et falso se innocentes non dicant, Confessarius eos moneat, illa, quæ secum in foro conscientiæ agunt, a Confessario nemini manifestari posse, ideoque, sive nocentes sint sive innocentes, id nec eis obfuturum nec profuturum esse; aliàs forte periculum erit ne peccata sileant confitenda. Caveat etiam Confessarius ne facile fidem habeat dictis reorum, quæ ad Confessionem non pertinent, neque temere evulget ea, quæ extra Confessionem accepit.

4° Nunquam ulli spondeat patrocinium suum apud Magistratum, neque assumat illud, sed solam animam curet; ob eamdem rationem.

5° Si reus se innocentem dicat, et queratur de factâ sibi injuriâ, Confessarius non facile id credat, nam plerique initio sic loquuntur, at neque statim ei contradicat, sed ad patientiam et resignationem eum disponat.

6° Sine certâ scientiâ, nolit captivum gaudio afficere de bonâ spe mitioris pœnæ ; quia, si spe cadat, reus magis tristabitur.

7° Nonnisi cum veniâ Officialium carceris debet captivis munera dare, aut pecuniam offerre ut suis necessitatibus prospiciant.

118. — II. **Modus agendi cum reis.** 1° Studeat eorum affectum sibi conciliare, tum verbis affectum compassionis significantibus, tum, si possit, eleemosynis; deinde conetur paulatim eos adducere ad sensa pœnitentiæ, ut cupiant se reconciliare cum Deo per bonam Confessionem. Id ut assequatur, utque eos soletur, sæpe, si liceat, ad eos accedat. *Modus agendi cum reis.*

2° Quum ejusmodi homines in negotio Religionis ut plurimum rudes sint, necesse erit eos de primis fidei et morum rudimentis interrogare, atque, ubi opus est, instruere. Hæc instructio ipsis grata reddatur, ideoque non nimis protrahatur ad tædium usque captivorum. Si sciant legere, poterit ope libri ulterius compleri.

3° In ipsâ Confessione hortetur reum ut absque ullo metu peccata sua candide aperiat, et certus sit Confessarium scientiâ Confessionis nullatenus uti posse neque in ejus favorem neque in ejus detrimentum. Non importune urgeat reum ad crimina sua coram judice confitenda, sed relinquat eum in bonâ fide, donec in foro externo convictus fuerit. Inquirat num criminis complices prodiderit, ubi propter bonum commune tenebatur; attamen, si videat reum hanc obligationem ignorare, et ex monitione fructum non sperari, taceat de obligatione. Examinet etiam an reus neminem odio prosequatur. Adhæc, attendat Confessarius annon obligetur pœnitens ad faciendam confessionem generalem vitæ anteactæ ; quæ si necessaria fuerit, adjuvet eum, quantum opus est, ita tamen ut imprimis attentus sit ad obtinendum legitimum dolorem et firmum propositum.

4° Si reus damnatus est ad diuturnum carcerem, Confessarius varia illi monita ad suam captivitatem forti animo tolerandam suggerat; excitet illum ut pœnam suam a Deo,

velut justo Judice, acceptet; dicat illi Deum ipsi gratiam facere, quippe qui cupit ut hanc pœnam admittat temporalem, ut parcat animæ suæ in æternum; proponat ipsi exemplum Christi et Sanctorum, qui innocentes passi et occisi sunt. Curandum quoque est ut captivus semper sit utiliter occupatus laborando, legendo, etc.

Modus agendi cum capitis damnato.

119. — III. **Modus agendi cum capitis damnato.** Sunt hodie regiones, in quibus juxta insana principia Liberalismi pœna mortis abrogata est, in aliis adhuc viget, sed raro exsecutioni mandatur. Quando ergo casus evenit, Confessario sciendum est quomodo se gerere debeat.

1° Studeat cum ejusmodi misero adhibere maximam charitatem et patientiam. Primâ vice quâ reum visitat, postquam sententia mortis illi intimata fuit, incipiat ei significare pœnam istam gratiam esse Dei, qui vult eum salvum facere. Dicat illi nos omnes esse morti destinatos, eamque brevi adfuturam, ut ad æternitatem perveniamus, quæ non habet finem. Inde loquatur ipsi de felici Beatorum vitâ et infelici damnatorum; ex quâ ansam sumat hortandi reum ad gratias agendas Deo, qui hactenus exspectavit ipsum, nec mori permisit tempore quo erat in peccato. Demum inducat illum ad mortem acceptandam, eam conjungendo cum morte quam Jesus Christus ex amore ipsius perpessus est; ei animum addat dicendo quod si mortem propter sua peccata acceptet, certe salvus erit, et cum magno merito salvus. Postea inducat illum ad confitendum et fidenter manifestanda omnia sua peccata; curet insuper, si exsecutio protrahatur, ut pluries communicet. Hortetur eum quoque ad frequenter se commendandum Deiparæ ut bonam ei mortem obtineat.

2° Dum e carcere reus ad locum supplicii pergit, Confessarius dicat ei: »Eja, fili mi, sequere Jesum Christum, qui »processit ad Calvariam ad moriendum pro te." In viâ procuret ut reus oculos in Crucifixum defigat, ipseque jugiter cum eo oret. Cum ad locum perventum est, iterum eum reconciliet et absolvat, animumque ejus erigat dicendo: »Macte animo, N., exsistis in gratiâ Dei; jam patet tibi

»Paradisi janua; ibi te exspectant Jesus et Maria. Con»junge mortem tuam cum morte Jesu Christi, qui exsan»guinatus et vituperatus amore tuî mortuus est. Nonne id »vis? Dic ergo mecum: *Domine, diligo te super omnia;* »*mori volo ad tuam faciendam voluntatem. Mortem pro pec*»*catis meis accepto. Condonasse te mihi spero*; *peccatorum* »*meorum me denuo pœnitet. Cupio brevi venire ad cœlum, ad* »*te amandum in æternum.*" Dum reus scalam ascendit, Confessarius ei dicat: »Fili mi, invoca Dei Matrem ut tibi »assistat. Offer mortem tuam pro peccatis tuis. Protestare »te nolle consentire ulli dæmonis tentationi." Cum sententia exsecutioni mandanda est, dicat: »Ecce, Jesus Christus »te exspectat; dic: *Domine, offendi te, me pœnitet; nunc* »*toto corde amo te. Deus animæ meæ, vocas me, ecce venio.* »*Maria Virgo, adjuva me. Domine, in manus tuas commendo* »*spiritum meum. Jesu et Maria! Jesu, Maria, Joseph!*"

3° Si reus obstinate nolit confiteri, quid agendum? Ante omnia Confessarius diligenter perscrutetur rationem hujus pertinaciæ, an proveniat ex quâdam jactantiâ aut incredulitate, an ex desperatione, odio, etc. Postquam rationem compererit, facile intelliget quibus argumentis reum persuadere debeat. Præterea sequentia media sunt tentanda. a) Confessarius ad orationem confugiat, et maxime ad SS. Missæ Sacrificium; neque omittat etiam aliorum piorum fidelium, Communitatum religiosarum præcipue, preces implorare. b) Quam maximam charitatem tum per blanda colloquia, tum per opera misericordiæ, tali misero exhibeat. c) Primis vicibus quibus obstinatum alloquitur, caveat ne importune eum urgeat ad confitendum, quoniam forte obstinatior fieret. Melius erit sermonem conferre cum illo de misericordiâ Dei, de Paradisi gaudiis, de pœnis inferni, et de morte quæ omnes manet. Interdum proderit narrare mortem aliquam tragicam peccatoris impœnitentis, aut lætam cujusdam peccatoris in mortis articulo resipiscentis, et cum gaudio morientis. Datis hisce monitis, Confessarius relinquat reum, ut hic secum ista animo revolvat. d) Postea ad reum reversus suaviter ab eo sciscitetur annon meliora

jam conceperit consilia? Dicat ei: »Fili mi, jam appropin»quat momentum, a quo pendeat sors tua æterna, quid »decernis? Aperta adhuc stat janua ad cœlum vel ad in»fernum; in tuo arbitrio est quam eligere velis. Animad»verte quod si impœnitens decedas, per totam æternitatem »te pœnitebit, sed tanto malo nullum amplius remedium »suppetet." Si necdum moveatur, Confessarius obsecret eum per Sanguinem Christi ne salutem suam negligat, animamque pretioso Christi Sanguine emptam perdat; imo interdum expediret in genua provolvi ante eum, deprecando ne velit perire, et alloquendo Christum crucifixum, quem in manibus habet, ne permittat perire hanc animam pretioso suo Sanguine redemptam. Quodsi nihil his omnibus profecerit, et tempus supplicii advenerit, prodesse poterit eum terrere dicendo: »Discede ergo, maledicte, in ignem »æternum, siquidem vis damnari. Scito pœnam tuam acrio»rem in inferno futuram esse ob abusum hujus temporis, »quod Deus tibi largitur ad resipiscendum." At postmodum blandum resumat sermonem. Siquando damnatus, postquam jam scalam ascenderit, petat confiteri, Confessarius flagitet justitiæ ministros ut id ei permittant, et, prout per spatium licuerit, ejus Confessionem excipiet. (*n.* 108. 109.)

CAPUT II.

MODUS SE GERENDI, HABITA RATIONE ÆTATIS ET SEXUS.

Articulus I.

ERGA PUEROS. (1)

Confessiones puerorum perutiles.

120. — Quantopere Jesu Christo gratum sit pueros ad ipsum adducere, discimus ex tenero affectu, quo illos ad

(1) Consule egregium opus R. P. Mach. S. J. *Trésor du Prêtre. liv. 2. ch. I. art. 3. § 3.*

se vocabat, dum Apostoli eos abigebant, ut legimus apud Lucam XVIII. 16. 17: »Jesus autem convocans illos, »dixit: Sinite pueros venire ad Me, et nolite vetare eos; »talium est enim regnum Dei. Amen dico vobis: Quicum»que non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in »illud." Confessarius, qui puerorum confessionibus excipiendis operam navat, sane opus utilissimum aggreditur; per gratiam namque Sacramenti Pœnitentiæ, accedentibus monitis et consiliis Confessarii, præservantur a contagione peccati, et si gravius eos labi contigerit, ex statu peccati tanto citius extrahuntur, quanto eorum animi facilius flectuntur.

Eorum præparatio.

121. — Parochorum officium est pueros præparare ad Sacramentum Pœnitentiæ, eumque in finem magnâ hujus Sacramenti æstimatione illos imbuere, explicare illis strictissimam sigilli obligationem, docere modum rite et fructuose confitendi, puta ut conscientiam suam examinent, contritionem cum firmo proposito concipiant, ante confessionem orent, in confessionali genua flectant, formulam confessionis generalis pronuntient, peccata sua distincte et libere confiteantur, acceptam pœnitentiam statim ac devote impleant. Confessario autem attendendum est ut pueri prædicta præstent, suaviter monendo eos, si in aliquo deficiant; deinde enitendum ipsi est ut ad Sacramentum Pœnitentiæ libenter accedant; quapropter omnem cum ipsis charitatem adhibere debet modosque suaviores, quantum fieri potest, ne, si austerum advertant Confessarium, a peccatis suis libere explicandis absterreantur, et ab ipso Sacramento aversionem concipiant.

Interrogatio.

122. — Priusquam confessionem incipiat, Confessarius debet eos interrogare an sciant eos articulos fidei, quos quivis christianus scire tenetur. Si nesciant, et tempus Confessario suppetat, oportet ad præsens eos patienter instruere saltem circa necessaria ad salutem; sin minus, eos absque absolutione mittere ad alium, a quo instruantur. Intra confessionem, sub initio pueri ipsimet ea peccata, quæ sciverint, explicare jubeantur et sinantur; in quo si

deficiant, Confessarius aliquot quæstiones formare poterit, prout expedire videbitur, e. g. An diebus Dominicis et Festis Missæ interfuerint? An intra eam garriverint aut petulantes fuerint? An mane et vespere oraverint? An fuerint obedientes parentibus et præpositis? An rixati sint cum æqualibus, an mentiti? Annon aliquid furati sint? Si qua labes innocentiæ in puero timeatur, interrogari poterit annon ex pudore tacuerit aliquod peccatum? Annon verba indecentia audierit ab aliquo pravo sodali? aut ipsemet dixerit? Quid dictum fuerit? An aliquis sodalis quidquam indecens fecerit? Si fateatur vel hæsitet, rogetur quid fecerit? An inhoneste jocatus sit? An ipsemet quoque tale quid fecerit? Si actiones inhonestas commiserit, sæpe rogandum erit utrum cum alio dormiat, et an in lecto modestus fuerit? Prodest etiam uti subinde interrogationibus suggestivis v. g. »*Et nunc dic mihi quoties hæc fecisti? »quinquies, decies?*" Cæterum caveat Confessarius ne sit nimius in interrogando, neque imprudens in materiâ sexti præcepti; quâ de re recole dicta n. 30. qu. 3. *(n.* 90.)

Instructio et adhortatio.

123. — Instructionis et adhortationis materia a peccatis, quæ pueri confessi sunt, determinatur; plura tamen sunt, quæ ipsis inculcare juvat, videlicet 1° summum peccati gravis horrorem, depingendo illis peccati turpitudinem, quippe quod animam fœdam reddit instar diaboli, Deique inimicam, remorsus conscientiæ, pœnam inferni, quam meretur; expedit demonstrare illis distinctionem inter peccatum mortale et veniale; quam ut capiant, optime conducit pœna inferni et purgatorii respective pro peccato gravi et levi luenda; 2° amorem virtutis, depingendo ipsis ejus pulchritudinem, utpote quæ animam Angelo similem reddit Deique amicam, pacem conscientiæ, mercedem in cœlo; 3° virtutes eorum ætati convenientes, et in quibus præcipue deficiunt, uti sunt obedientia, veracitas, mutua inter fratres et sorores concordia, modestia; sed imprimis amorem erga Deum, qui tantopere nos diligit, et devotionem erga B. V. Mariam, Matrem et Patronam nostram in cœlo; 4° media virtutis adipiscendæ, nempe studium orationis,

memoriam præsentiæ Dei, qui est ubique et omnia videt, atque fugam pravorum sociorum. Hæc omnia Confessarius ad captum uniuscujusque eorum accommodet; et præcipue, ea præstare non omittat; quod enim teneris puerorum animis inseritur, hæret et suo tempore fructum feret.

Dispositio.

124. — Quod contritionem attinet, necesse est ut Confessarius pueros ad eam eliciendam instituat, cum pueri plerumque nihil minus quam de dolore cogitent. Non sufficit autem a pueris quærere num doleant de peccatis, neque eis injungere ut recitent formulam doloris, quam edidicerunt, nam eam recitare solent instar psittaci, sine vero actu interno. Modus optimus esse videtur, si quæratur ab eis, an diligant Deum? An ideo doleant se peccasse, quod tam dilectum Patrem offenderint? Item, si quæratur quò veniant probi et innocentes, et quò mali? Postea subdatur an statuant deinceps vitare peccata ut veniant in cœlum, et non in infernum, etc? In tali proposito jam vera attritio inclusa est, cum nullus statuat vitare peccatum, qui non odit illud. Expedit cum pueris per modum dialogi procedere; sic namque attentiores erunt. (*n.* 91.)

Satisfactio.

125. — Postmodum injungenda est pœnitentia ætati conveniens. Confessarius non facile pœnitentiam per aliquot dies persolvendam imponat, cum vix sperari possit fore ut illius recordentur, aut certe sufficientem ejus persolvendæ curam habeant; præstat ergo modicam illis pœnitentiam imponere, quam post Confessionem statim peragere jubeantur.

Absolutio.

126. — Ad absolutionem pueris impertiendam magnâ opus est attentione. Si constet ipsos sufficienti discretione pollere, et videantur satis dispositi, absolvendi sunt. Porro sufficiens discretio apparet, si sua peccata satis distincte explicant, ad quæstiones Confessarii apte respondent, et videntur apprehendere peccato se offendisse Deum, pœnamque meruisse. At, si contingeret pueros jam esse recidivos in gravia peccata, tractandi sunt sicut adulti. — Si dubium sit num puer perfectum usum rationis habeat, prout

si in actu Confessionis non maneret compositus, in clathris nugaretur, circumspiceret, ad omnes quæstiones affirmative responderet, sub conditione absolvi potest, quando urget præceptum confessionis, et præcipue quando puer confessus est aliquod peccatum dubie mortale; idque faciendum est, etiamsi recidivus sit; ideo namque differri debet absolutio dubie dispositis qui perfectâ discretione fruuntur, quia spes est fore ut dispositi redeant; sed hujusmodi effectus exspectari vix potest a puero. Imo probabiliter idipsum facere licet, saltem post duorum triumve mensium intervallum, quamvis sola venialia confiteretur; ne puer diu privetur gratiâ sacramentali, et fortasse etiam sanctificante, ob occultam aliquam culpam gravem. (*n.* 91.)

Animadversiones.

127. — Non abs re erit hoc loco subjungere tres animadversiones circa reatum puerorum in materiâ impudicitiæ, circa obligationem restitutionis, et circa conscientiam erroneam. 1° Actiones inhonestæ puerorum, qui luxuriæ adhuc ignari sunt, plerumque non sunt habendæ ut peccata mortalia: quia vel commotionem veneream non habuerunt, vel hujus malitiam nondum apprehendunt. Hâc de re scripsit S. Alphonsus (1): »Sunt quædam actiones »naturales, quas manifestare puderet, attamen declarare »propterea non tenemur. Sic e. c. si quis commiserit in »pueritiâ levitates aut jocos indecentes, quorum malitiam »ignorabat, non tenetur ea confiteri. Neque ex eo quod »actio secretò facta fuerit, concludere licet conscium quem »fuisse ejusdem malitiæ; quasdam namque faciunt pueri »actiones naturales secretò, quamvis non sint peccata." In praxi tamen, propter notum axioma: »Principiis obsta", Confessarius debet pueros, qui jocos impudicos exercuerunt, severius corripere, ut imposterum ab omni immunditiâ abhorreant; simul tamen paterno modo loquatur, ne pueri, si forte relabantur, peccata illa postea ex timore reticeant. E converso, inveniuntur etiam, idque non raro in urbibus, pueri mature corrupti, in quibus malitia et notitia luxuriæ

Circa impudicitiam.

(1) Vera Sponsa. cap. 18. § 1. n. 14.

prævenerunt ætatem, et de quibus, proh dolor! dici debet: »Tantillus puer, et tantus peccator!" 2° Pueris non imponatur obligatio restituendi; quia hanc obligationem non intelligunt, et ad restituendum ordinarie impares sunt; casu excepto, quo puer rem ablatam adhuc habeat; tunc namque juvat ei restitutionem injungere, ut a furto abhorrere discat. 3° Provideat Confessarius ut pueros dedoceat, qui erronee putant mortale peccatum esse, quod nonnisi veniale est; non raro enim contingit pueros a matribus hâc in re perperam instrui, et a levibus peccatis sub pœnâ inferni deterreri.

Circa restitutionem.

Circa conscientiam erroneam.

Articulus II.

ERGA ADOLESCENTES ET JUVENES.

§ 1. Communis agendi ratio.

128. — »Quid par illi arti, exclamat S. Chrysostomus, »quæ dirigendæ animæ et efformandæ juvenis menti et in»doli incumbit? Qui tali instructus est facultate, plus di»ligentiæ exhibeat oportet, quam quivis pictor aut statua»rius." (1) Tanto majoris momenti est hoc negotium, quanto juventus pluribus gravioribusque periculis hodiedum exposita est; pericula illa potissimum sunt pravæ scholæ, oblectamentorum, sociorum spiritu mundano imbutorum, lectionum maleficorum scriptorum seductio, humanus respectus, etc. Propterea magni interest ut adolescentes ducem habeant, qui eos præmoneat, dirigat, impellat, retrahat. Ut Confessarius operam suam in adolescentes cum fructu conferat, imprimis necesse est ut sibi devinciat eorum animos eorumque fiduciam sibi conciliet, tractando eos cordialiter et affectu plane paterno; caveat ne severe cum ipsis agat, sed fragilitati et inexperientiæ eorum compatiatur; tunc Confessarii monita, consilia, adhortationesque suscipient cum

Rei momentum.

Adjumenta.

(1) Hom. 59. in Matth. XVIII. n. 7.

docilitate, et exsequentur cum alacritate. Deinde opus est ut Confessarius adolescentes et juvenes ad frequentem Confessionem alliciat; nihil juvenili ætati magis utile est quam frequens Confessio, puta singulis mensibus; hâc enim 1° a peccati habitu præservantur; si enim ex fragilitate labantur, eo citius per Confessionem resurgent, quo sæpius accedunt ad sacrum tribunal, neque peccatum abire poterit in consuetudinem, quæ difficillime rumpitur; 2° virtuti et pietati, quæ ætate juvenili facile discitur et excercetur, assuescunt, et continuo exercitio in eâ firmantur; 3° in reliquo vitæ sæpius ad Sacramentum accedent; quo enim quisque in adolescentiâ et juventute confitetur rarius, eo in ætate provectiori abhorrebit magis a Confessione, frequentiori præcipue, uti docet experientia.

Eorum Confessio.

129. — Intra confessionem, si in exponendis peccatis suis videantur non satisfecisse, examinari possunt annon mala scripta legerint, malis sociis se adjunxerint? An malis cogitationibus inhæserint, et cum delectatione morosâ? An turpia libenter audierint, an locuti sint indecentia, obscœna? An aliquid inhonestum fecerint, et quid? — Circa hanc materiam sciat Confessarius esse inter adolescentes, qui, licet non norint impudicitiam, tamen se accusent de pravis cogitationibus, vel in genere se impuritatem patrasse. Quapropter Confessarius efficiat ut ipsi declarent de quâ re cogitaverint aut quid fecerint; inde comperiet sæpius verba et actiones fuisse contra decentiam vel munditiam extra genus luxuriæ. Et si Confessarius suspicatur eos impudicam aliquam actionem patrasse, roget quid egerint, quocum, etc.; hoc pacto ex pœnitentis ore speciem peccati eliciet, quin subeat periculum docendi illam.

Commendanda ipsis.

130. — Adolescentibus specialiter commendanda sunt: 1° Lectio bonorum librorum, quâ et otiam evitant, et ad virtutem colendam adjuvantur. 2° Ut caveant a lectione nocuâ tam fidei quam moribus, utpote quæ venenum est animæ. 3° Ut caveant a turpiloquio, a familiaritate cum altero sexu. Experientiâ compertum est sermones malos procacium sodalium viam ordinariam esse, per quam mali-

tia mentes ac corda adolescentium ingreditur; propterea fugiant malos socios velut dæmonis emissarios; quin etiam nec sint alicui sodali nimium familiares, eo quod nimia familiaritas, etsi bono fine inchoata, frequenter degenerat in amicitiam non puram. Puellis inculcandum est ut, quantum fieri potest, a societate et conversatione masculorum sese abstineant. 4° Ut se contineant a mundanis oblectamentis, quæ nostrâ ætate tam periculosa sunt, puta a choreis, a spectaculis, imo et a frequentibus itineribus voluptuariis, quippe quæ sensum religionis debilitant. Hæc monita et parentum mentibus imprimere oportet, ut et ipsi liberos suos ab omni contagione custodiant. 5° Ut suas tentationes fidenter aperiant, ne mediis destituti succumbant; passiones enim incipiunt in illâ ætate se commovere, et quandoque faciunt aliqua, primo nescientes esse peccata, sed, inducto pessimo habitu, difficillime emendantur. 6° Ut Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ sæpe suscipiant. 7° Ut alicui Congregationi socios se adjungant. Hæc non omnia simul sunt inculcanda, sed pro re natâ, modo unum, modo aliud.

Notanda circa pollutionem.

131. — Denique, quatuor notatu digna addo: 1° Quum juvenes frequenter vitio mollitiei sint subjecti, et habitus hujus peccati sit emendatu difficillimus, quia præsens semper est et in promptu illius materia et occasio, ideo oportet ut Confessarius advigilet ne adolescentes pœnitentes sui hoc rete diaboli capiantur; quapropter utatur mediis præservativis supra propositis. Quoad illos vero, qui habitum jam contraxerunt, sedulam operam navet ad illum extirpandum, adhibendo efficacia remedia, quæ tradidimus in Opere lib VI. n. 314. qu. 3. et 7, vel in *Fasciculo* n. 16. qu. 3 et 7. Animadvertat Confessarius, quod docuit experientia, nempe nullum cœlibem, qui ad provectam ætatem usque in habitu hujus vitii vixerit, ad frugem redire posse nisi extraordinariâ Dei gratiâ præveniatur; principiis ergo obstet, ne malum per multas invaleat moras, et sero medicina paretur. (1)

(1) Non possum hâc occasione non exhortari Concionatores, ut,

2° Interdum inveniuntur juvenes utriusque sexûs, qui habitu pollutionis antehac irretiti, valde cupiunt hâc miseriâ soluti esse, sed vehementer tentantur, et, quamvis resistant ac orent, pollutio nihilominus sæpe evenit. Idem aliquando contingit ob corporis complexionem nervosam aut sanguinosam, quæ vehementes tentationes causat. Doceantur hujusmodi juvenes, pollutiones, quas inviti patiuntur, inculpabiles esse. Attamen cautus sit Confessarius ne *facile* credat debitam adfuisse resistentiam, sed hanc rem sedulo exploret.

3° Alii sunt, qui primùm resistunt, deinde vero, si tentatio urgere pergat, animum despondent, putantes frustraneam esse resistentiam, et cedunt tentationi. Hi animandi sunt ad ulteriorem resistentiam; probabile enim est mox secuturam esse spontaneam pollutionem, quæ tunc, utpote præter voluntatem secuta, absque peccato erit.

4° Alii demum timoratæ conscientiæ, sed nervosæ complexionis, in lecto vehementes commotiones carnis identidem patiuntur; si positivam resistentiam opponere pergant, obdormiscere nequeunt, et, si tandem sopiantur, pollutio in somno evenit. Hisce suadendum est, ut, implorato divino auxilio et elicitâ protestatione dissensûs, dein tutâ conscientiâ passive sese habeant, prout docet S. Alph. *lib.* 5. *de peccat. n.* 9.

Circa amicitias in Institutis educationis.

132. — Si Confessiones excipiuntur adolescentium aut puellarum in Collegiis aut educationis Institutis conviventium, Confessarius multum attendat ad pestem satis communem, quam *amicitias particulares* vocant. Hujusmodi amicitiæ in initio nonnisi sensibiles amicitiæ sunt sine diffidentiâ aut malitiâ contractæ; mox amici vel amicæ mutuâ consuetudine utuntur et secedunt ab aliis; sensim,

---

dum concionantur de scandalo vel de vitio turpi, invehi non omittant in scandalum illud pessimum et nihilominus tam frequens, quo perversi corruptores incautos adolescentes docent peccata luxuriæ. Annon plerique juvenes, qui habitum contraxerunt libidinandi secum ipsis, pestem illam ab aliis didicerunt? Moneantur ergo seductores isti de comminatione Christi contra eos, qui scandalum dant pusillis, moneantur se reos fieri tot peccatorum alienorum, moneantur insuper de obligatione confitendi illud scandalum.

priusquam periculum videatur, sæpe carnales fiunt, sequuntur amplexus, oscula, et pejora. Malum hoc omnino præveniendum est; quare, si Confessarius prudenter interrogando illud detegit, debet exigere, etiam sub denegatione absolutionis, omnimodam separationem. Quodsi complex pergat tentare, et non desistat, Superiori denuntietur, ubi denuntiatio obtineri potest. Sicubi communis seductor inveniatur, hic omnino est denuntiandus. Persuasum sibi habeat Confessarius se in hoc negotio solâ severitate profuturum esse.

§ II. Circa electionem status vitæ.

133. — Si adolescens sive juvenis mentionem faciat de electione statûs vitæ, Confessarius ad nullum statum præ alio pœnitentem inclinet, sed permittat Deum agere, et hortetur ad constanter petendum lumen a Deo, et cavendum ab omni peccato, ne lumini impedimentum objiciat. Qua de re scripsit S. Alphonsus: »Circa statum ab aliquo »adolescente eligendum, non audeat Confessarius illum ei »determinare, sed tantum ex indiciis curet suadere statum »illum, ad quem prudenter judicare potest ipsum a Deo »vocari." (*n.* 92.) Porro, quomodo Confessarius pœnitentem suum consilio adjuvare possit, dependet a statu, quem pœnitens vult eligere. *Electio non est a Confessario decernenda.*

134. — Circa *statum religiosum*, si Institutum religiosum, quod adolescens ingredi cupit, regulari observantiâ floret, Confessarius debet vocationem sui pœnitentis bene probare, explorando 1° ejus *aptitudinem* tum ad statum religiosum in genere, tum ad observantiam et scopum tali Instituto proprium. Inquirat igitur an pœnitens præditus sit recto judicio, indole bonâ, animo jugo obedientiæ submisso, ingenio ac scientiâ relative sufficientibus, et firmâ valetudine. Quoad judicium, qui sano judicio caret, multis hallucinationibus est obnoxius. Quod indolem attinet, S. Teresia sapienter dicebat se nolle in Ordine suo neque personas scrupulosas neque melancholicas, intellige nempe si nota- *Status Religiosus.* *Signa vocationis.*

biliter tales sunt; quia ejusmodi personæ et sibi ipsis et Communitati multa incommoda afferunt. Iracundi, nisi simul melancholici sint, inhabiles non sunt. Illi denique, qui infirmâ sunt valetudine, communem observantiam servare nequibunt, atque adeo oneri potius erunt Communitati quam commodo, et bonum exemplum dare non poterunt. 2° *Finem* ejus, an sit rectus, nempe magis se conjungendi Deo, aut lapsus emendandi anteactæ vitæ, aut sæculi pericula vitandi. Quodsi principalis finis esset mundanus, puta ad commodius vivendum, ad se liberandum a propinquis duræ conditionis, aut complacendi parentibus, qui eum impellunt ad statum Religiosum, caveat Confessarius ne permittat pœnitenti Religionem ingredi, nam eo casu non adest vera vocatio, sine quâ hujusmodi ingressus malum habebit exitum. Si autem finis est bonus, et abest impedimentum, nec debet nec potest Confessarius, neque alius quicumque, ut docet D. Thomas,(1) sine culpâ gravi, illi impedire aut dissuadere vocationem. 3° Ejus *propositum*, an sit firmum et perseverans; ad id melius experiendum, Confessarius quandoque aget prudenter, si exsecutionem aliquamdiu differat, præsertim si noverit adolescentem esse volubilem, aut si consilium istud initum fuerit tempore missionis vel exercitiorum spiritualium, cum in hujusmodi occasionibus quædam concipiantur proposita, quæ postmodum, primo fervore transacto, deficiunt. (*n.* 92.) Adhæc, Confessarius non facile fidem habeat vocationi eorum, qui propter frequentes relapsus suspectam reddunt futuram custodiam castitatis; qui jam ætatem triginta annorum attigerunt, cum proprio sensui nimis adhærere soleant, et ideo jugum obedientiæ difficulter ferant; qui ex alio Instituto egressi sunt, quia vel raro perseverant, vel critici esse solent.

Media eam conservandi.

Dum tractat cum pœnitente de vocatione ejus, Confessarius illi injungere debet 1° *cautelam*, adeo ut omnibus, præsertim parentibus, præsumptam vocationem suam reli-

(1) Quodlib. 3. art. 14.

giosam occultet, donec ea agnita exsecutioni mandanda sit. 2° *Orationem assiduam* et *Sacramentorum frequentationem*, quippe quibus lumen divinum, obsequentia, animique constantia obtinendæ sunt. 3° *Separationem a mundo*, videlicet ab omni dissipatione, a consortio mundanorum, ab oblectamentis mundanis, quantum fieri potest; secus enim periculum est ne vocatio pessum abeat. Postquam Confessarius sufficientia indicia vocationis in pœnitente agnoverit, operam dare debet ut pœnitens prompto animo Deo vocanti obsequatur, vocationem suam conservet, ac quantocius exsecutioni mandet.

135. — II. Circa *statum clericalem* in sæculo, Confessarius debet similiter sedulo explorare sufficientem capacitatem, rectum finem, et probitatem vitæ. Sacerdotes sæculares habent eamdem, imo majorem obligationem sancte vivendi quam Religiosi, et contrà remanent in sæculi periculis; unde, ut quis bonus evadat Sacerdos in sæculo, oportet ut prius egerit vitam valde exemplarem, remotam a mundanis oblectamentis, ab otio, a malis sociis, et deditam orationi et Sacramentorum frequentationi; alioquin periculo damnationis se exponet. (*n.* 93.) Quod porro rectum finem attinet, hic est servire Deo, laborando pro ejus gloriâ et pro salute animarum; quapropter ad statum ecclesiasticum non vocantur illi, qui ducuntur timore ne parentibus displiceant, vel amore vitæ commodæ, vel ambitione statûs honorabilis, quod præsertim timendum est in juvenibus qui parentes pauperes habent. Quod demum probitatem vitæ spectat, oportet ut juvenes sint sobrii, casti, laboriosi, scientiarum ecclesiasticarum amantes, modesti, ac pii.

Status clericalis. Signa vocationis.

Quoad juvenes, qui jam sunt in Seminario majori, et ad Sacros Ordines adspirant, sed quorum castitas infirma est, a Sacris Ordinibus avertendi sunt; nam in periculis sacri ministerii naufragium facient; nisi forte tanta præbuerint constantis continentiæ specimina, ut periculum relapsus judicetur improbabile. Ejusmodi juvenes sunt: *a*) qui post pubertatem diu et frequenter turpia perpetrarunt cum aliis sive ejusdem sive diversi sexûs; *b*) qui aliquoties for-

Signa defectûs vocationis.

nicationem commiserunt; vel saltem vehementer propensi sunt ad personas alterius sexûs, libenter cum illis ludicros sermones habent, nimia familiaritate utuntur, turpes cogitationes inde nascentes non ægre ferunt, eis quandoque adhærent; *c*) qui diuturnam habuerunt consuetudinem pollutionis; vel etiamsi diuturnam consuetudinem non habuerint, in hujusmodi incontinentias quandoque relabuntur, sive in Séminario, sive tempore feriarum. — Idem dicendum est, servatâ proportione, de aliis vitiis statum clericalem dedecorantibus; quare juvenes intemperantes, superbi, iracundi, leves animo, circa pietatem indifferentes, studiorum negligentes, scientias ecclesiasticas fastidientes et libros profanos magis amantes, sæpe moniti et non emendati, nunquam erunt Sacerdotes boni exempli. Quandonam autem Ordinandis vitiosis omnino prohibenda sit Sacri Ordinis susceptio expendimus in Opere lib. VI. n. 314. qu. 10.

Prohibitio sacræ Ordinationis.

Pro coronide dicimus: Nisi juvenes innocentiam servent, dum in Seminario ad sacerdotales virtutes efformantur, vix spes est fore ut illam servent in Sacerdotio constituti. Unde turpiter seipsos illi decipiunt, qui arbitrantur se in Sacerdotii gradu positos emendaturos esse vitia, in quibus laici vel clerici sorduerunt.

Status virginitatis. Laudabilis est.

136. — III. Quoad statum *virginitatis* in sæculo, quando puellæ virginitatem suam Jesu Christo consecrare cupiunt, certe sunt in hoc sancto proposito confirmandæ, tum propter virginitatis præstantiam ac meritum, tum propter complacentiam Jesu Christi, tum propter majorem commoditatem sese sanctificandi. Interim Confessarius moneat eas ut nunquam votum castitatis emittant, nisi de consilio vel approbatione Confessarii sui. Confessarius autem non permittat castitatem perpetuam vovere, nisi personis quas noscit bene fundatas in virtutibus et solidâ pietate. Adolescentibus sub initio tantum permittat castitatem vovere ad aliquod definitum tempus, vel sub conditione resolutoriâ, quæ prudenter adjungitur: »Nisi Confessarius pro tempore »judicaverit expedire ut votum desinat." (*n.* 93.)

Votum ejus judicio Confessarii submittendum.

Status matrimonii.

137. — IV. Quoad statum *matrimonii*, ad quem plerique

homines destinati sunt, quædam Confessario indicanda sunt, ut pœnitentibus suis in hoc momentoso negotio opportuna monita præbeat. 1° Caveat Confessarius ne adolescentes præmature in animum inducant cogitationem nuptiarum, et ne præmature procationem incipiant; neque toleret ut puellæ inter plures procos animo leviter volitent. 2° Advertat quod, sicut peccarent parentes, qui sine justâ causâ filiis suis honestum matrimonium impedirent, ita contrà peccarent filii (et ideo Confessarius tenetur illis hoc prohibere), qui vellent cum dedecore familiæ matrimonium inire, aut, quamvis conjugium non esset indecorum, vellent tamen illud contrahere, invitis parentibus, et cum eorum scandalo, quin ipsi filii justam causam habeant, ob quam excusantur. (*n.* 94.) Quapropter juvenes, qui volunt matrimonium inire, monendi sunt ut omne propositum vel omnem propositionem matrimonii mox ad parentes referant, ad consilium et assensum eorum petendum. 3° Felix matrimoniorum successus unice dependet a Deo, qui ut in paradiso terrestri primus matrimonii auctor fuit, ita et semper deinceps ejus diligentissimus custos fuit. Propterea sciant juvenes quid spectare oporteat eos, qui ad matrimonium adspirant; ut nimirum augeant numerum electorum ad gloriam, ipsique facilius ac minori cum periculo æternam salutem consequantur. Sciant, ad fructum hujus Sacramenti percipiendum, illa maxime divinæ gratiæ auxilia quæ necessaria sunt ad mutuum in conjugio amorem, ad societatem virtute commendatam, ad sobolis rectam educationem, opus esse ut suscipientes Deo chari gratique sint. Finis abjectus, puta voluptatis et fortunæ appetitus, quem plurimi *unice* spectant in matrimonio, contractus hujus significationem Sacramentique sanctitatem profanat, et sæpenumero catenam illam peccatorum fabricat, quæ matrimonii celebrationi tam crebro præmittuntur. Experientia docet tam male auspicatos conjugii contractus gravissimorum sæpe malorum feraces esse, atque efficere ut idipsum, quod destinatum erat ad juvandos christianos ut salutem facilius consequerentur, jam ipsis fiat impedi-

Monita danda adspirantibus ad matrimonium.

Ne præmature nuptias cogitent.

Consensum parentum petant.

Rectum finem sibi proponant.

mento. Observa in Opere lib. VI. n. 340 et seqq., quæ tradidimus de procationibus.

Monita danda sponsis.

138. — Adhæc, quando tempus celebrandi matrimonium appropinquat, proderunt sequentia monita: 1° Sponsalia non

Honestatem servent.

contrahant, nisi instante jam matrimonio. Iis autem contractis, sponsi doceantur ipsis nihil amplius licere, quam omnino solutis; quapropter, ne tentationibus succumbant, caveant nimiam familiaritatem, et matrimonii celebrationem non diu differant; maxime vero caveant, tum propter periculum tum propter scandalum vitandum, ne ex tempore sponsalium vel denuntiationum in eâdem domo cohabitent.

Sacramentorum receptione se præparent.

2° Sponsi hortandi sunt ut, antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiam, atque ad Matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant. (1) Si bene dispositi sunt, expediret ut confessionem generalem instituant, et congruo quidem tempore ante matrimonium; quia, si quod forte impedimentum occultum detegatur, dispensatione tolli poterit. Advertat porro Confessarius, quod si sponsi ad sacrum tribunal accedant pridie matrimonii celebrandi, eosque rite disponere pro voto sibi non cesserit, dubie tamen ipsi dispositi sint, sub conditione eos absolvere poterit, prout diximus in Opere lib. VI. n. 217. in fine. Indispositos Confessarius dimittere debet sine absolutione, uti claret; attamen, si revera confessi sint, petentibus testimonium seu schedulam peractæ confessionis dare tenetur, eosque hortari congruit ut brevi ad confi-

Obligationes statûs doceantur.

tendum revertantur. 3° Quamvis proprie Parocho incumbat sponsos docere obligationes statûs conjugalis, e re tamen erit si etiam Confessarius aliquas breviter eis inculcet, e. g. ut ea, quæ in matrimonio licent, honesto fine ac modo exerceant, sicuti christianos decet; pacifice semper convivant, memores se homines esse defectibus obnoxios; persuadeat eis a mutuâ dilectione pendere et felicitatem conjugum, et bonam prolis educationem, et vitationem multorum peccatorum; liberorum, quos Deus de-

(1) Trid. sess. 24. cap. 1. ref. matr. Rituale Rom. tit. 7. cap. 1. n. 17.

derit, christianam educationem cordi habeant, rationem de iis Deo reddituri; omnibus suis domesticis bono sint exemplo: vir uxorem suam tractet, non ut famulam, sed ut vitæ sociam: uxor viro suo in omnibus satisfacere satagat, in licitis obediat, præsertim in redditione debiti; viro, si quando irascatur, cedat, errantem suaviter commoneat. Uno verbo, familiam vere christianam constituant, ubi omnia fidem catholicam patefaciunt. Hæc si servent, divinam benedictionem exspectare poterunt; si secus fecerint, eamdem a se avertent.

Articulus III.

ERGA SEXUM FŒMINEUM.

139. — Ut Confessarius bene se gerat erga sequiorem sexum, præ oculis habere debet diversam utriusque sexûs indolem. Secundum ordinem, quem Creator instituit, vir familiæ præesse, eamque regere ac tueri debet; mulier contrà debet subesse, atque amore potissimum virum ac prolem prosequi; idcirco, propter hæc diversa officia, sexûs diversitas in mores admodum influit. Vir ratione et voluntate magis sese ducit; mulier autem sensibili affectu magis succenditur et instinctu cordis magis quam rationis usu sese dirigit. Vir difficulter subjectioni acquiescit, dum mulier contrà ad obediendum creata est. Vir persuasione religiosus est, et vitæ activæ magis quam contemplativæ aptus; mulier corde adhæret Deo et ob suavitatem sui temperamenti ingeniumque affectuosum insignes habet ad pietatem dispositiones. Vir iracundiæ, mulier querimoniæ magis obnoxia est. Vir uti fortior consilio et potentiâ, mulier uti debilior astutiâ finem intentum assequitur. Vir pluribus et nequioribus vitiis laborat; sed mulier, si cui passioni se dedit, magis insanit. Huc adde, tempore menstruorum, et prægnationis, mulieres obnoxias esse variis motibus passionum, puta morositatis, iracundiæ, anxietatis, etc. Ætate menstruorum præterlapsâ, mulieres solent ro-

Indoles sexûs.

bustiores et viriliores evadere. Horum consideratio juvabit sane Confessarium in directione mulierum; sed est aliud fœminarum ingenium, quod considerationem nostram meretur, nimirum, cum factæ fuerint propter virum, libenter hujus societate gaudent, et ea animi propensio, quâ se in virum ferri sentiunt, et vice versa, laqueus est non minus suæ, quam Confessarii saluti periculosus. Ideo necesse est ut Confessariis monita demus et præcautiones indicemus, quibus pericula evitent in frequentibus et prolixis mulierum confessionibus latentia. Verum enim vero adhæsio mulieris personæ Confessarii tantum est malum, ut morte ipsâ diligentius sit evitandum.

Confessarius præferat confessiones virorum.

140. — Circa confessiones excipiendas, Confessarius generatim, quantum in se est, magis semper inclinet ad virorum, quam mulierum confessiones excipiendas; nam, cum naturâ constantiores sint viri, et ab eis domestica dependeat disciplina, rectius profecto apud eos atque utilius opera collocatur. Recte enim inquit Sapiens Eccli. X. 2: »Qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in eâ.“ »Quanta miseria est, inquit S. Alphonsus, cernere Confes»sarios, qui multum tempus impendunt in audiendis devo»tis mulierculis, pauperes autem viros aut uxores, qui »sunt ærumnis afflicti, et ægre domos ac negotia sua re»linquere potuerunt, audire declinant; unde isti, non inve»nientes cui confiteantur, vivunt menses et annos sine Sa»cramentis et sine Deo. Hoc profecto non est audire »confessiones pro Deo, sed pro genio suo; quare nescio »quale meritum sperare possint Confessarii illi, qui tali »modo suum ministerium exercent. Non dico ego, sicut »quidam dicunt, tempus frustrâ consumi in directione ani»marum ad perfectionem, contra vero assero id esse opus »Deo pergratum, ideoque de hoc fusius loquar; nihilomi»nus boni Confessarii, qui pro Deo tantum confessiones »excipiunt, quando accedit aliqua anima auxilio indigens, »præferunt eam personis devotis, quibus audiendis juvan»disque, quando Confessarius vult, tempus non deërit.“ (*n.* 120.)

141. — Porro circa confessiones mulierum animadvertere juvat: 1° In commercio cum sexu fœmineo, si unquam alias, Confessarius servet monitum Eccli. XLI. 15: »Curam habe de bono nomine," ita ut non tantum sit castus, sed etiam curet haberi talis, procul omni suspicione conscientiæ minus puræ, exemplo Christi, qui contra castitatem nunquam passus est sibi quidquam objici; neque enim quidquam plus imminuit Sacerdotis auctoritatem, quam suspicio animi minus casti. Hinc caveat Confessarius a fixo aspectu, a blandis verbis, quæ affectum sensualem redoleant aut possint suscitare; solus cum solâ secreto, absque arbitro, non sedeat; nullius vel manum tangat, nec suam ab ullâ tangi permittat; abstineat etiam a recipiendis munusculis pœnitentium alterius sexûs; eas domi non invisat, extra casum gravis infirmitatis, neque permittat eas ad domum suam venire colloquendi gratiâ; secreta eis non pandat; uno verbo, omnem familiaritatem devitet. (*n.* 119.)

Erga fœminas cautelâ opus est.

2° Omnium quidem mulierum, sed præcipue earum, quæ juvenili ætate, formositate, statu et conditione periculosiores sunt, familiaritatem in confessionibus audiendis fugiat, utpote ex quarum consuetudine plerumque aut fumus sequitur aut flamma.

Specialiter erga juniores.

3° Quoniam cum personis spiritualibus major est deceptionis diabolicæ occasio, cum hisce major quoque cautela adhibeatur; quia cum ejusmodi pœnitentibus est periculum majoris adhæsionis, et spiritualis amor inter personas diversi sexûs transgredi solet limites suos, et fieri carnalis; id autem non advertitur donec mutuæ voluntates ita conjunctæ et agglutinatæ sunt, ut, quamvis gravate et reluctanter, potius a Deo quam a se invicem discedant ac separentur, judicantes non decere sibi in illo amore illâque amicitiâ deesse; et tunc dæmon ignem accendens illos excæcat et illaqueat. Quomodo diabolus in hoc negotio procedat, sic describit S. Alphonsus: »Ad »conjungendas inter se personas spirituales (puta Confes»sarium suamque pœnitentem), diabolus ab initio utitur »prætextu virtutis, ut deinde affectus a virtute transeat ad

Maxime erga devotas.

»personam. In initio non emittit sagittas aperte venenatas, »sed illas tantummodo, quæ aliquantum feriunt corda; sed »brevi tales personæ eò deveniunt ut non amplius agant »invicem tanquam angeli, quemadmodum cœperant, sed »tamquam carne vestiti; vicissim se intuentur cordaque »mutuo feriunt blandis verbis, quæ adhuc a primâ devotione »videntur procedere; deinde alter alterius præsentiam in- »cipit appetere, et quanto familiaritas plus crescit, tanto »plus infirmatur principale motivum et puritas maculatur; »sicque tandem spiritualis devotio convertitur in carnalem. »Et reapse, ingemit S. Doctor, quot Sacerdotes, qui antea »erant boni, ob ejusmodi adhæsiones, quæ spiritu cœperant, »spiritum deinde et Deum perdiderunt!" (*n.* 119.)

Observanda intra confessionem, quoad locum, tempus, et modum.

142. — In actuali confessione mulierum tria specialiter a Confessario observanda sunt: 1° *Locus*, ut, quantum fieri potest, in loco semper patente, et ad crates audiantur, prout n. 53 diximus. 2° *Tempus*, ut breviter eas, maxime si frequenter confiteantur, expediat, ideoque longiores confabulationes, impertinentes narratiunculas, prolixas adhortationes, curiosas quæstiones studiose devitet. 3° *Modus*, ut Confessarius et oculorum modestiam custodiat, et cum junioribus sit potius rigidus quam suavis. Quando accedunt pœnitentes inconsuetæ, non ostendat se eas agnoscere; aliquæ enim, quæ devotæ haberi volunt, advertentes se nosci a Confessario, aliquando non faciunt confessionem integram. (*n.* 119.)

Agendi ratio cum inordinate affectâ erga Confessarium.

Siquando Confessarius, junior præsertim, advertat pœnitentem aliquam carnali amore sibi adhærere, asperis verbis eam retundat, et, si hoc non sufficiat, ad alium Confessarium remittat, idque tum præcipue faciendum est cum et Confessarius sensualem affectum in se sentit; alioquin incautus Confessarius seipsum et pœnitentem magno periculo exponet.

Cum procaci.

Demum non abs re erit Confessarios commonefacere, Sacerdotes esse prædam prædilectam diaboli, ad quam capiendam tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret; perdendo enim Sacerdotem, non solam hujus animam

sed complures alias simul perdit. Inde nonnunquam contingit ut procaces fœminæ consilium ceperint insidias parandi virtuti alicujus Sacerdotis, simulando conversionem, infirmitatem, aut quid aliud excogitando, ut paulatim ad seductionem devenirent. Evenit quoque ut salax puella prolixam seriem obscœnitatum in Confessione enarret et inverecunde describat, eo animo ut turpes commotiones in Confessario suscitet. Confessarios debere ejusmodi serpentes a se repellere, res ipsa monet. »Cavendum quoque est, in»quit Berardi, (1) ab illis puellis, quæ ex curiositate mali»tiosâ cupiunt interrogari a Confessariis, ut addiscant ea »quæ adhuc ignorant; et in hunc finem semper affirma»tive respondent. Sunt etiam aliæ adhuc magis malitiosæ, »quæ, sive ex libidine, sive ut postea in conversationibus »rideant de Confessario, non solum ad quaslibet interro»gationes affirmative respondent, sed etiam ruborem fin»gunt, et enixe petunt ut interrogentur. Ab his scopulis »interdum difficile est cavere; sed utile erit quod Confes»sarii juniores sciant quousque malitia fœminea pertingere »possit." Memores sint Confessarii sententiæ Eccli. XXV. 26: »Brevis omnis malitia super malitiam mulieris."

Confessio uxorum.

143. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quid in confessione uxorum specialiter observare debeat Confessarius, quantum ad officia earum erga maritos?*

Resp. 1° Cum honestiores mulieres de debito conjugali interrogari horreant et verecundentur, caveat ne facile illius mentionem faciat; si persona ejusmodi sit, quam de illo examinare deberet, satis erit quærere num debitam marito fidem et obedientiam omnibus in rebus præstiterit. 2° Non permittat piis uxoribus operam dare exercitiis pietatis, puta ecclesiam et Sacramenta frequentare, cum gravi aliquâ virorum offensione, sed potius hortetur eas ut per obedientiam et fidem conjugalem viris præstitam inopportunum illum pietatis fervorem compensare conentur. 3° Non facile illarum querelis adversus maritos credat; multo minus

(1) Prax. Confess. n. 1099.

culpam in maritum conferat, etiamsi haud dubie penes illum foret; nam, cum mulieres naturâ suâ imprudentes sint, facile viris ipsorum noxas, præsertim Sacerdotum judicio improbatas, objiciunt. Quapropter satius est, re dissimulatâ, observantiam maritis debitam proponere uxoribus, ut demisse ac patienter, si quid molestiæ a viris accidat, ferant, eorumque dictis audientes sint.

Confessio viduarum.

Quær. 2° *Quid in confessione viduarum sit Confessario specialiter observandum?*

Resp. 1° Quantum in ipso est, det operam ut castitatem custodiant. Si conatus esset irritus, impellat eas ad secundas nuptias. 2° Hortetur ut familiam diligenter administrent, filios suos in officio contineant, integramque servent auctoritatem suam. 3° Illas, quæ honeste se gerunt, et a secundis nuptiis abstinere decreverunt, in suo proposito confirmet; ideoque moneat eas ut quemcumque expetitorem *statim* abnuant, omnemque familiaritatem cum altero sexu caveant, nam secus propositum brevi evaneseret. 4° Matronas divites avertat a vitâ otio, vanitati, et deliciis deditâ; excitet vero ad pietatis charitatisque opera factitanda.

CAPUT III.

MODUS SE GERENDI, HABITA RATIONE STATUS VITÆ.

Articulus I.

ERGA CONJUGES.

Præcipua eorum officia.

144. — Salus Ecclesiæ et Reipublicæ plurimum dependet a salute familiæ domesticæ, quæ tuto stare nequit, nisi conjuges ingenuo amore consociati sint, atque omnem sollicitudinem et curam adhibeant ut proles sua christiane educetur. Hisce autem primariis officiis rite satisfacere nequibunt, nisi totius familiæ bene instituendæ curam habeant.

In quo negotio Confessarius patres matresque-familias monitis et consiliis multum adjuvare potest.

Obligationes conjugum et parentum in Opere tradidimus; restat hoc loco exponere quasdam illorum tribulationes, modumque illos in iis dirigendi. Tribulationes illorum ex tribus potissimum causis proveniunt, videlicet 1° ex ipsorum vitiis; 2° ex malis liberorum moribus; 3° ex adversâ fortunâ. *Tribulationes.*

145. — Quod primum attinet, 1° si uxor queratur de severitate et iracundiâ viri, suadeat Confessarius ut pro viro oret; sit diligens in obsequiis ei præstandis, ordinariis addat extraordinaria, e. g. cibos gratos ei paret, dicatque se id facere ut bene sit illi; sit exacte obediens; ita suo tempore obtinebit quod exoptat. Taceat, dum maritus iratus aut ebrius est; ebrium conetur blandis verbis cubitum conducere ut dormiat; postridie, si monitio profutura videatur, amanter moneat maritum dum est bene affectus. Si irato respondendum sit, respondeat suaviter, nam responsio mollis frangit iram, dura suscitat furorem. Si nihil prosit, patientiâ opus est, quâ solatium a Deo et magnum fructum meritorum consequetur. *Tribulationes ex vitiis.*

2° Si uxor attentet viro dominari, suadendum est viro ut dehortetur uxorem suaviter; minime autem se ostendat timidum, aliàs namque mulier magis insolesceret; si verba suavia non proficiant, obsistat gravioribus, et faciat contra ac vult uxor; consentiat tamen quandoque; suo officio bene fungatur, ne ansam querendi uxori ullam præbeat.

146. — Quod ad secundum spectat, si parens queratur liberos suos inobedientes esse, feroces, otio deditos, Confessarius hortetur illum ut examinet annon suâ forte culpâ et neglectâ educatione ista eveniant; si enim in puerili et adolescenti ætate liberis nimis indulserit, a pravis consortiis non continuerit, vel contra, si durius eos tractaverit, maledictionibus et ignominiosis verbis compellaverit, mirum non est quod liberi fiant contumaces et inobedientes. Meminerit juventutis suæ, annon et ipse erraverit? Quot parentes sunt, qui præviis peccatis nuptias suas comma- *Tribulationes ex liberis.*

cularunt! Nonne in quo quis peccavit, in hoc et pœnas luet? — Correctio filiorum paternam benignitatem rigore permixtam habeat, sicut S. Gregorius monet: »Regat dis»ciplinæ vigor mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigo»rem, et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor »sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta." (1) Insuper, dum proles a patre punitur, si non ultra modum fiat, caveat mater ne palam obsistat, aut proli postea blandiatur, ac si innocens passa esset; hoc enim correptionis fructum aufert, et liberos facit refractarios. Si pater monendus videatur, fiat hoc clam pueris. — Et hæc eadem servet pater, si mater puniat.

Tribulationes ex adversâ fortunâ.

147. — Quantum ad tertium, si querantur de defectu mediorum ad sustentationem, Confessarius soletur eos, et excitet ad patientiam ac conformitatem cum voluntate divinâ, dicendo v. g. patientiæ promissam esse magnam remunerationem, salutem animæ omnibus temporalibus præferendam esse, brevem esse vitam in hoc mundo, nihilque postmodum quidquam profuturum, nisi serviisse Deo. Hortetur ut liberos suos in timore Dei educent; hæc optima erit hæreditas, quam nemo eis auferre potest. Excitet ad fiduciam in Deum, qui dixit: »Quærite primùm regnum »Dei, et cætera adjicientur vobis;" qui pascit volucres cœli, nec homini deerit, si ei serviat. Sufficit homini mediocritas; ampla fortuna multis occasio est perversitatis et æternæ damnationis; ideo multi in cœlo non essent, si non fuissent pauperes, et multi non essent in inferno, si divites, si principes, si reges non fuissent.

Articulus II.

ERGA MONIALES.

Sunt aliæ contemplativæ, aliæ activæ.

148. — Imprimis distinguendæ sunt Moniales, quæ vitam contemplativam, et quæ vitam activam ducunt. Priores

(1) Moral. lib. 19. cap. 20. n. 30.

exercitio charitatis erga Deum præcipue operam navant; remotæ sunt a periculis mundi, magnamque facilitatem habent seipsas sanctificandi; ad bonum commune concurrunt ope orationum suarum, tentationibus et angoribus internis multum probantur. Posteriores a periculis quidem mundi non sunt prorsus sejunctæ, sed ex amore Dei miro modo charitatem erga proximum exercent, et de societate humanâ bene merentur. Vita contemplativa est tutior, multasque Sanctas produxit; vita activa est frugifera in proximum. Utraque est utilis in Ecclesia.

De Confessario Monialium exponemus quænam ipsi facienda, quænam evitanda sint.

149. — Quantum ad *facienda*, hæc præcipue observet: *Facienda.* 1° Quo peritius et fructuosius easdem regere possit, Confessarius bene cognoscere studeat tum ea, quæ ad ipsam statûs religiosi perfectionem spectant, tum ea, quæ ad propriam respectivæ Religionis vocationem pertinent; quem in finem libros asceticos de hâc materiâ tractantes, e. g. S. Alphonsi, Rodriguez, Scaramelli, necnon earum Regulas et Constitutiones crebro et accurate evolvere debet. — 2° Provideat ut Moniales plenâ fiduciâ conscientiam suam ei pandant; hæc enim fiducia illis summe necessaria est, cum unicum fere refugium ad Confessarium habeant, quo si priventur, tamquam oves pastore suo destitutæ variis angoribus et tentationibus erunt expositæ. Quapropter Confessarius magnam patientiam et paternam mansuetudinem omnibus ostendat; si quando Monialis in Confessione verecundiæ indicium præbeat, enixe eam adjuvet. — 3° Studeat ut Moniales in virtutibus proficiant. Virtutes Monialibus magis necessariæ sunt: *a*) Amor Dei, non sensibilis, sed fortis, quæ impellat ad faciendam voluntatem Dei in omnibus, etiam in rebus arduis; b) Humilitas et modestia, tam interna quam externa, juncta cum gaudio spirituali; *c*) Obedientia erga Regulas, Antistitas, et Patrem spiritualem. Perfecta obedientia postulat ut prompte, fideliter, alacriter obediatur, nullam exquirendo rationem, quoties res jussa non sit certò peccatum; *d*) Charitas erga Sorores;

quæ efficiat ut nullam offendant aut contristent, et offensas acceptas ex animo condonent, defectus aliarum patienter et mansuete ferant, easque, dum possunt, adjuvent. *e*) Castitas, quæ præcavet omnem affectionem et familiaritatem periculosam. — 4° Procuret regularem observantiam, adhortando omnes ut cuncta, quæ a Regulis et Constitutionibus præscribuntur, exacte et ex vero spiritu peragant, præsertim ut silentium diligenter custodiant, et idcirco locutoria vitent. Si quos abusus, præsertim circa clausuram et collocutiones cum exteris, irrepsisse advertat, Ordinarium consulat. — 5° Auctoritatem Præfectæ monasterii semper salvam et incolumem tueatur.

Evitanda. 150. — Quoad *evitanda* hæc præcipue sunt: 1° Rarius potius quam frequentius cum Monialibus conversetur, et, ubi colloquendum est, brevitati studeat. 2° In responsis dandis non sit nimis præceps, sed in gravioribus quæstionibus aut dubiis tempus ad recogitandum petat. 3° Nulli se nimis familiarem, nec uni potius quam alteri faventem ostendat; quia ex utriusque hujus præcepti neglectu pericula, perturbationes, et aversiones oriri consueverunt. 4° In confessionibus audiendis nullum tædium, impatientiam, et festinationem patefaciat; hoc enim non parum imminueret fiduciam. 5° Non inordinate turbetur aut scandalizetur, si interdum graviora quædam peccata, puta peccata carnis et sacrilegii, ab ipsis patrata audiat; meminerit personas Deo consecratas vehementius ab hoste infernali oppugnari atque ad lapsum impelli; quare commiseratione potius quam indignatione, auxilio magis quam reprehensione dignæ sunt. 6° Caveat ne ullam suspicionem præbeat quod notitiâ confessionum ad aliquid exterius agendum vel dicendum utcumque utatur. 7° Neque regimini domestico, neque ullis negotiis ad Ordinarium vel ad Præfectam spectantibus, sese immisceat, imo nec consilium aut auxilium facile subministret, sed intra fines muneris sui, quod est animarum saluti et perfectioni invigilare, arcte constanterque se contineat; meminerit namque se nullâ auctoritate in foro externo pollere. Idcirco caveat quoque ne novita-

tes introducat; si quid ob graves causas immutandum videatur, dummodo tamen non sit contra Regulas vel Constitutiones, id non sine consilio et voluntate Præfectæ ac maximæ partis Communitatis fiat; secus pax turbabitur in Communitate.

Directio Antistitæ.

151. — Superest ut explicemus quomodo Confessarius Præfectam monasterii dirigere debeat. Ut Antistita munere suo rite fungatur, Confessarius dabit illi pro re natâ hæc consilia: 1° Moniales suas omnes, nullâ distinctione factâ, tamquam filias charissimas diligat; ideo quamlibet libenter auscultet eique succurrat. 2° Delationibus non præbeat se credulam, sed caute inquirat; si corripere debeat, id plerumque faciat privatim. 3° Regularem observantiam procuret, et ipsa suo exemplo omnibus præeat. 4° Abusus, si qui sint, prudenter rescindere satagat. 5° Cordi habeat ut infirmæ non solum summo studio curentur, verum etiam a consororibus sæpe visitentur. 6° Quoad expensas, ab avaritiâ simul et a luxu atque superfluitate abstineat. 7° Tam in admittendis novitiis, quam in illis dimittendis, magnâ consideratione utatur. 8° In circumstantiis extraordinariis Ordinarium tempestive consulat.

Decretum Pontificium.

152. — Nuper prodiit Decretum S. C. Ep. et Reg., quod necesse est hoc loco subjungere.

DECRETUM

S. Congregationis Episcoporum et Regularium de conscientiæ ratione, Confessariis extraordinariis, et Communionis frequentia.

Motivum Decreti.

»Quemadmodum omnium rerum humanarum, quam»tumvis honestæ sanctæque in se sint, ita et legum sa»pienter conditarum ea conditio est, ut ab hominibus ad »impropria et aliena ex abusu traduci ac pertrahi valeant; »ac propterea quandoque fit, ut intentum a legislatoribus »finem haud amplius assequantur; imo et aliquando, ut »contrarium sortiantur effectum.

»Idque dolendum vel maxime est obtigisse quoad leges

»plurium Congregationum, Societatum aut Institutorum »sive mulierum quæ vota simplicia aut solemnia nuncu»pant, sive virorum professione ac regimine penitus laico»rum; quandoquidem aliquoties in illorum Constitutionibus »conscientiæ manifestatio permissa fuerat, ut facilius alumni »arduam pertectionis viam ab expertis Superioribus in du»biis addiscerent; e contra a nonnullis ex his intima con»scientiæ scrutatio, quæ unice Sacramento Pœnitentiæ re»servata est, inducta fuit. Itidem in Constitutionibus ad »tramitem SS. Canonum præscriptum fuit, ut sacramen»talis Confessio in hujusmodi Communitatibus fieret respec»tivis Confessariis ordinariis et extraordinariis; aliunde »Superiorum arbitrium eo usque devenit, ut subditis aliquem »extraordinarium Confessarium denegaverint, etiam in casu »quo ut propriæ conscientiæ consulerent, eo valde indige»bant. Indita denique eis fuit discretionis ac prudentiæ »norma ut suos subditos rite recteque quoad peculiares »pœnitentias ac alia pietatis opera dirigerent; sed et hæc »per abusionem extensa in id etiam extitit, ut eis ad Sa»cram Synaxim accedere vel pro libitu permiserint, vel »omnino interdum prohibuerint. Hinc factum est, ut hu»jusmodi dispositiones, quæ ad spiritualem alumnorum »profectum et ad unitatis pacem et concordiam in Com»munitatibus servandam fovendamque salutariter ac sapien»ter constitutæ jam fuerant, haud raro in animarum dis»crimen, in conscientiarum anxietatem, ac insuper in externæ »pacis turbationem versæ fuerint, ceu subditorum recursus »et querimoniæ passim ad S. Sedem interjectæ evidentis»sime comprobant.

»Quare SSmus D. N. Leo divina providentia Papa XIII, »pro ea qua præstat erga lectissimam hanc sui gregis »portionem peculiari sollicitudine, in Audientia habita a »me Cardinali Præfecto S. Congregationis Episcoporum et »Regularium negotiis et consultationibus præpositæ die »decimaquarta Decembris 1890 omnibus sedulo diligenterque »perpensis, hæc quæ sequuntur voluit, constituit atque de»crevit.

I. »Sanctitas Sua irritat, abrogat, et nullius in poste- *Abrogat conscientiæ rationem præscriptam.*
»rum roboris declarat quascumque dispositiones Constitu-
»tionum piarum Societatum, Institutorum mulierum sive
»votorum simplicium sive solemnium, necnon virorum om-
»nimode laicorum, etsi dictæ Constitutiones approbationem
»ab Apostolica Sede retulerint in forma quacumque, etiam
»quam aiunt specialissimam, in eo scilicet quod cordis et
»conscientiæ intimam manifestationem quovis modo ac no-
»mine respiciunt. Ita propterea serio injungit Moderatori-
»bus ac Moderatricibus hujusmodi Institutorum, Congre-
»gationum ac Societatum ut ex propriis Constitutionibus,
»Directoriis ac Manualibus præfatæ dispositiones omnino
»deleantur penitusque expungantur. Irritat pariter ac delet
»quoslibet ea de re usus et consuetudines etiam immemo-
»rabiles.

II. »Districte insuper prohibet memoratis Superioribus *Prohibet ad eam inducere.*
»ac Superiorissis, cujuscumque gradus et præeminentiæ sint,
»ne personas sibi subditas inducere pertentent directe aut
»indirecte, præcepto, consilio, timore, minis, aut blanditiis,
»ad hujusmodi manifestationem conscientiæ sibi peragen-
»dam; subditisque e converso præcipit ut Superioribus
»majoribus denuncient Superiores minores, qui eos ad id
»inducere audeant; et, si agatur de Moderatore vel Mode-
»ratrice Generali, denunciatio huic S. Congregationi ab iis
»fieri debeat.

III. »Hoc autem minime impedit quominus subditi *Permittit sponte eam facere.*
»libere ac ultro aperire suum animum Superioribus va-
»leant, ad effectum ab illorum prudentia in dubiis ac
»anxietatibus consilium et directionem obtinendi pro vir-
»tutum acquisitione ac perfectionis progressu.

IV. »Præterea, firmo remanente quoad Confessarios or- *Præscribit Confessarios extraordinarios.*
»dinarios et extraordinarios Communitatum quod a Sa-
»crosancto Concilio Tridentino præscribitur in *Sess.* 25.
»*cap.* 10. *de Regul.* et a S. M. Benedicto XIV statuitur
»in Constitutione quæ incipit *Pastoralis curæ.* Sanctitas
»sua Præsules Superioresque admonet ne extraordinarium
»denegent subditis Confessarium quoties ut propriæ con-

»scientiæ consulant ad id subditi adigantur, quin iidem »Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut »ægre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida »dispositio fiat, Ordinarios exhortatur ut in locis propriæ »Diœceseos, in quibus Mulierum Communitates existunt, »idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad »quos pro Sacramento Pœnitentiæ recurrere eæ facile »queant.

Frequentiam Communionis soli Confesario committit.

V. »Quod vero attinet ad permissionem vel prohibitio»nem ad Sacram Synaxim accedendi, eadem Sanctitas »Sua decernit hujusmodi permissiones vel prohibitiones »dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordina»rium spectare, quin Superiores ullam habeant auctorita»tem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis »ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confes»sionem Communitati scandalo fuerit, aut gravem exter»nam culpam patraverit, donec ad Pœnitentiæ Sacramen»tum denuo accesserit.

Frequentior Communio Superiori notificanda.

VI. »Monentur hinc omnes ut ad Sacram Synaxim »curent diligenter se præparare et accedere diebus in pro»priis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritua»lem alicujus profectum Confessarius expedire judicaverit »ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti »poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit »frequentioris (1) ac etiam quotidianæ Communionis, de »hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic »justas gravesque causas se habere reputet contra frequen»tiores hujusmodi Communiones, eas Confessario manifes»tare teneatur, cujus judicio acquiescendum omnino erit.

Sanctionem addit.

VII. »Eadem Sanctitas Sua insuper mandat omnibus »et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus et »Localibus Institutorum de quibus supra, sive virorum sive »mulierum ut studiose accurateque hujus Decreti disposi»tiones observent, sub pœnis contra Superiores Apostolicæ »Sedis mandata violantes ipso facto incurrendis.

Annuam prælectionem jubet.

VIII. »Denique mandat ut præsentis Decreti exempla-

(1) Per modum habitûs nempe.

»ria in vernaculum sermonem versa inserantur Constitu»tionibus prædictorum piorum Institutorum, et saltem se»mel in anno, statuto tempore in unaquaque Domo, sive »in publica mensa, sive in Capitulo ad hoc specialiter »convocato alta et intelligibili voce legantur.

»Et ita Sanctitas Sua constituit atque decrevit, con»trariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione »dignis minime obstantibus.

»Datum Romæ ex Secretaria memoratæ Congregationis »Episcoporum et Regularium die 17 Decembris 1890.

»I. Cardinalis Verga, Præfectus.

»† Fr. Aloisius Episcopus Callinicen., Secretarius.

Articulus III.

ERGA SACERDOTES.

Rei momentum.

153. — Summi momenti negotium est confessiones audire Sacerdotum, qui a Domino constituti sunt Pastores et Rectores Ecclesiæ, qui omnium virtutum splendore ornati aliis lumen præferre debent, gregemque Christi pascere Sacramentis, doctrinâ, exemplo, et oratione; quapropter a Domino vocati sunt lumen mundi et sal terræ. Quantopere porro vita sancta Sacerdotum conferat ad mores populi informandos, tantopere, imo multo magis, ad populi corruptelam concurrunt mala eorumdem exempla; si namque »verbi semen facile germinat, quando hoc in »audientis pectore pietas prædicantis rigat," si »illa vox »validius auditorum corda penetrat, quam loquentis vita »commendat," e converso »nemo amplius in Ecclesiâ no»cet, quam qui perverse agens nomen vel ordinem sancti»tatis habet." (1) Quantam insuper sibimetipsis perniciem moliantur hujusmodi Sacerdotes, sic enuntiat S. Gregorius: »Plerique (Sacerdotum, qui labuntur) a Domino in im»pœnitentis cordis caliginem projiciuntur, et nullâ hominis »adhortatione resipiscunt," (2) et loquendo specialiter de

(1) Synod. Antverp. 1680. — (2) Expos in I. Reg lib. 2. cap 3. n. 7.

vitio libidinis in Sacerdote ait: »Cæcitas specialiter libi»dinosis adscribitur, quia nulla sunt vitia, quæ spissiores »tenebras menti ingerant, quam libido." (1) Et S. Hieronymus: »Grandis dignitas Sacerdotum, sed grandis ruina »eorum, si peccant." (2)

Ex dictis patet quanto zelo Confessarius Sacerdotum operam dare debeat ut pœnitentes suos in fervore vitæ vere sacerdotalis retineat, atque a tepore et relaxatione præservet. Hunc in finem exponemus 1° quomodo Confessarius se gerere debeat in audiendis confessionibus Sacerdotum, 2° quæ monita eis dare, et quæ media inculcare conveniat.

Agendi ratio cum bonis, cum tepidis, cum malis.

154. — In excipiendis Sacerdotum confessionibus Confessarius reverenter se gerat. Si probi sunt, cum Theologiam moralem cognoscant, ut plurimum opus non est eos interrogare; in dubio de gravitate alicujus culpæ, ab ipsis quæri potest num putaverint se peccare graviter. Adhortatio plerumque minime omittatur; sed sit brevis et modesta; detur modo indirecto, dicendo v. g. *nos Sacerdotes.* Si vero neglectæ conscientiæ sunt, necesse erit eos interrogare, prout n. 42 tradidimus; cum hisce gerat se etiam fortiter in faciendis debitis correptionibus et in denegandâ absolutione, quoties oportet, e. g. si qui sint occasionarii aut recidivi. Non turbetur Confessarius, neque stupefiat, si subinde ad se accedat miser Sacerdos peccatis onustus; oportet esse scandala, ait Dominus noster, et, si inter duodecim Apostolos a Deo ipso electos unus fuit proditor, an mirum est si inter tot millia Sacerdotum, qui sunt in Ecclesiâ, sparsim inveniantur male viventes, occulte saltem? Nonne admiratione dignum esset, si tales non darentur? Porro fortitudine utendum est cum Sacerdotibus, qui in gravia peccata recidivi, quin se unquam emendaverint, ausi sunt tamen Missas celebrare, aucupando absolutionem ab aliquo incauto Confessario, qui hâc ratione operam dat damnationi eorum. Hi Sacerdotes eniti solent ut absolutionem, quæ eis deneganda esset, extorqueant sub præ-

(1) Ibid. lib. 6. cap. 2. n. 18. — (2) Lib. 13. in Ezech. cap. 44.

textu scandali, quod eveniret, prout illi exponunt, si a celebratione desistere deberent. Confessarius sit constans, inquit S. Alphonsus, in differendâ absolutione hujusmodi sacrilegis, eos adstringat tum ad repetendas confessiones tamquam irritas, tum ad confitenda omnia Sacrificia celebrata tamquam sacrilega, tum demum ad abstinendum interim a celebratione usquedum emendationis perspicua indicia præbuerint. Quodsi quis eorum opponeret se ob scandalum non posse a celebratione abstinere, respondeat justos prætextus non defuturos, si velit desistere; cæterum, si obsequi renuat, dicat quod celebrare potest, modo certus sit se habere contritionem, sed quod nunc ipse non potest eum absolvere, dum certus non est, ut oportet, de ejus dispositione, imo justum habet motivum credendi oppositum, cum observet tot relapsus sine emendatione. Et sic agendo sperari potest fore ut resipiscat et salvetur ille miser Sacerdos; secus Confessarius et pœnitens ambo damnabuntur. (*n.* 183. H. A. *Append. IV.* § 1. *n. IX.*)

155. — Quod monita attinet, Confessarius Sacerdotibus præ cæteris suadere potest 1° ut bene apprehendant vocationis suæ dignitatem, obligationes, et remunerationem; 2° ut suis ovibus totos se impendant, iisque prodesse conentur precibus, exemplo, et ministerio; maxime ægrorum, pauperum, et puerorum specialem curam habeant; 3° ut quatuor illa vitia singulari studio devitent, quæ ut statum clericalem maxime dedecent, ita specialiter illi periculosa sunt, scilicet otiositatem, luxuriam, ebrietatem, et avaritiam. *Monita danda.*

156. — Inter media pœnitentibus Sacerdotibus inculcanda ad vitam vere sacerdotalem ducendam, primas tenet propositum firmiter conceptum et jugiter iteratum vitam secundum sanctitatem statûs sacerdotalis instruendi. Ex hoc proposito proveniet in muneribus ecclesiasticis obeundis alacritas, in virtutum exercitio oblectatio, adversus tentationes irruentes robur, denique in his omnibus perseverantia. Proposito illo deficiente, vita Sacerdotis erit instabilis, infrugifera, et variis animæ periculis obnoxia. Ut porro Sacerdotes propositum istud exsecutioni mandare va- *Media inculcanda. Propositum vitæ sacerdotalis.*

leant, utque in eo stabiliantur et confirmentur, necesse est ut plura alia media adhibeant, qualia præ cæteris sunt quæ modo recensebimus.

Orationis studium.

157. — 1° **Orationis studium.** Duas præcipue orationis partes distinguere oportet, videlicet meditationem et precationem ; utraque est Sacerdoti necessaria. *a*) Meditatio est sedula rerum divinarum consideratio, non ad cognoscendum tantum , sed ad voluntatem pie afficiendam movendamque ordinata. Sine oratione mentali, inquit S. Alph. , (1) difficillime bonus erit Sacerdos ; nam sine eâ intellectus carebit lumine, quo cognoscat veritates æternas et mysteria divini amoris, atque inde deerit in voluntate calor fervoris, quo moveatur ad sancte vivendum. Deinde, si cura animarum ei incumbit, sine meditatione dux erit èt male oculatus èt viribus destitutus; pascendi officio oratio vitam et succum tribuit; ejus defectus languorem inducit. Sacerdos igitur certum sibi quotidie tempus eligat, quo sanctam meditationem peragat; quod tempus semihorâ minus esse non convenit; nec aliud tempus aptius erit matutino, tamquam minus obnoxio distractionibus, quas occupationes diurnæ animo ingerunt. Si qui opponant sibi tempus ad meditandum non suppetere, perpendant , quæso , an prætermissio meditationis non proveniat potius ex negligentia et tepore quam ex temporis exiguitate; amputentur superflua colloquia, circumcursationes , visitationes , ludi chartarum aliaque oblectamina, et, ni fallor, tempus suppetet. (2) *b*) Precatio seu petitio non minus est necessaria quam meditatio. Certum est, omnium bonorum fontem communem esse Deum; sed fontem suo manantem arbitrio, qui non in alios rivos, quam quos ipse voluerit, aquas suas diffundat. Sicut autem constituit Deus habitualis suæ gratiæ undam derivare in nos per canales Sacramentorum, ita etiam decrevit actualis gratiæ imbres communicare per canalem petitionis: »Dives in omnes, qui invocant illum." (3) Hinc consequitur, ut, quemadmodum ad stabilem sanctitatem pos-

---

(1) n. 183. — (2) Prax. Conf. n. 122. 217. 219. — (3) Rom. X. 12.

sidendam necessarium est ad Sacramenta accedere, ita ad eamdem contra tot hostes, a quibus oppugnatur, defendendam, opus omnino sit precum uti præsidio, quibus mediis decrevit Deus suo nos fovere patricinio: »Clama »ad me, et ego exaudiam." (1) Et revera, gratia sanctificans in animâ nostrâ est tamquam in arce obsessâ ab hostibus, adversus quorum vim et dolos absque opportunis auxiliis tueri ipsa se non potest; sed hæc auxilia obtineri non possunt, nisi petantur; ergo quantum divino auxilio opus est, tantum opus est oratione. Unde, si quotidie novo Dei auxilio indigemus, nullum diem sine precibus transigere possumus. Quodsi Sacerdos pastor est animarum, hanc inter præcipuas pastoralis muneris partes existimare debet, nempe oves suas salutari orationis pabulo jugiter pascere: »Absit a me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare »pro vobis," dicebat Samuel ad charum sibi populum. (2) Et jure quidem. Narrat enim Scriptura populum Dei Moyse duce tamdiu hostes suos profligasse, quamdiu Moyses erectis brachiis pro eo preces fundebat; cum brachia demittebat, hostibus inferiores erant Israëlitæ; cum iterum erigebat, superiores erant. »Oret ergo et Sacerdos Ecclesiæ »indesinenter, ut vincat populus, qui sub ipso est, hostes »invisibiles, qui sunt dæmones, impugnantes eos, qui pie »volunt vivere in Christo." (3)

Sed non minus solerter enitendum est ut hanc orandi necessitatem illi ipsi intelligant, pro quibus pastor orat. Nemini tamen hæc inculcanda est altius, quam illi peccatorum generi, qui oratione tanto magis opus habent, quanto minus indigentiam hanc vel intelligunt vel curant. Hoc ipsum autem peccatorum genus, tamquam damnationi proximum, singulari fervore Deo commendandum est, intra Missæ Sacrificium præcipue, ut Deus promissis suis stare velit: »Et rogante pro »eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus." (4)

158. — 2° **Officium divinum.** Inter preces fundendas, præter SS. Missæ Sacrificium, nullæ sane sunt excellentiores *Officium divinum.*

(1) Jerem. XXXIII. 3. — (2) I Reg. XII. 23. — (3) Decret. Distinct. 36. cap. 3. — (4) Levit. IV. 20.

et efficaciores Officio divino. Præcellens est, quia constat precibus ab ipso Spiritu Sancto inspiratis vel ab Ecclesiâ ejus Sponsâ compositis; constat tot laudibus Divinæ Majestatis, quibus Sacerdos assidue se adjungit Curiæ cœlesti, prout canit Ecclesia in Officio dedic. eccles.:

»Sed illa sedes Cœlitum
»Semper resultat laudibus,
»Deumque Trinum et Unicum
»Jugi canore prædicat:
»Illi canentes jungimur,
»Almæ Sionis æmuli."

»Ecquid beatius, inquit S. Basilius, quam in terrâ con»centum Angelorum imitari, hymnis et canticis Creatorem »venerari?" (1) Tandem est precatio totius Ecclesiæ in orbe universo dispersæ, quippe cujus legatione fungitur quivis Sacerdos. Efficaciâ præstat; nam jugibus laudibus reparat tot blasphemias, quas homines impii quotidie in Deum proferunt; elicit actus perfectissimos virtutum theologicarum; opem divinam implorat pro cunctis necessitatibus humanis, tam ipsius recitantis quam totius generis humani. Inde apparet quantopere cavendum sit Sacerdoti ne tam sanctum opus perfunctorie et festinanter peragat; contra vero, quam sollicitus esse debeat ut illud attente ac devote persolvat.

Missæ Sacrificium.

159. — 3° **Missæ Sacrificium.** Ad Sacrificium istud, tamquam ad centrum Religionis, propius aut remotius referuntur omnes plane cæremoniæ Ecclesiæ; et ad idipsum, tamquam ministerii sui centrum, a Sacerdote referri deberent omnes suæ curæ, ut quantâ maximâ fieri potest interiore cordis munditiâ, et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie illud offerat. (2) In Missæ celebratione tres potissimum intervenire possunt abusus, repugnantes reverentiæ, quam opus tam divinum exigit; sunt autem: sacrificare *cum festinatione*, sacrificare *ex consuetudine*, et sacri-

(1) Epist. 2. ad Greg. — (2) Trid sess. 22. de observ. et evit. in celebr. Missæ.

ficare *cum gravis peccati conscientiâ.* Nonnulli Sacerdotes gloriosum sibi ducunt quam citissime se in Sacro dicendo expedire; profecto non perpendunt isti quis tandem sit ille, quem tam irreverenter tamque inurbane tractant; non perpendunt, quoties hæc hostia offertur, opus nostræ Redemptionis exerceri; indecorâ illâ, et omnium oculis expositâ, genuflexionum, crucium, aliarumque cæremoniarum festinatione manifestum præbent modicæ fidei argumentum. (1) Secundus abusus, priori non multum absimilis, est sacrificare ex consuetudine, quod idem est ac Sacrum facere cum magno animi tepore ac frigore, sine præparatione et sine gratiarum actione, ita ut videatur aliud non quæri quam stipendium. Prima Sacrificia a Sacerdotibus cum pietatis sensu celebrantur, deinceps autem apud plures sensim ita redduntur usitata, ut nullus amplius pietatis affectus appareat, et laici melius præparati et majori devotione ad sacram mensam accedere soleant. Si nulla præcesserit præparatio, et in gratiis agendis aberit diligentia; inde ejusmodi Sacerdotes, Sacrificio peracto, tanti doni, quod acceperunt, mox obliti se effundunt in colloquia, et protinus domum se recipiunt. Porro, si Scriptura temerarium vocat, qui imparatus accedit ad orandum, (2) si maledictum, qui facit opus Domini fraudulenter, (3) qualis erit Sacerdos, qui augustissimum altaris Sacrificium congruenti præparatione, debitâ reverentiâ ac pietate, atque simili gratiarum actione defraudat? Superest ut quid dicamus de tertio et gravissimo abusu sacrificandi cum conscientiâ peccati mortalis. Exoptandum sane foret ne unum quidem Sacerdotem reperiri, qui horrendum istud sacrilegium perpetret; sed inter millenos Sacerdotes in Ecclesiâ subinde dantur, qui manibus gravi peccato sordidis Agnum immaculatum in arâ tractare et in corde pariter immundo excipere non verentur. Nemo non videt ejusmodi Sacerdotes novos Judas esse, nisi forte Judâ sint sceleratiores. Norunt Apostolum

---

(1) Cfr. Opus nostrum. lib. VI. n 132. qu. 5. — (2) Eccli. XVIII. 23. — (3) Jerem. XLVIII. 10.

sacrilege communicantes conferre cum iis, qui Christum crucifixerunt: »Reus erit Corporis et Sanguinis Domini;" sed sacrilegi non dubitant Dominum suum denuo crucifigere in cordibus suis. Norunt Apostolum monere: »Non »potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum;" nec tamen os a calice illo abstinent. Norunt denique Apostolum protestari, omnem, quicumque indignus ad mensam illam accedere veritus non fuerit, æternæ condemnationis sententiam devoraturum esse: »Judicium sibi »manducat et bibit;" et tamen ad hanc mensam redeunt, et utinam semel tantum aut paucies! Certum igitur est, quod, quantum bonorum allaturum est Christi Corpus et Sanguis digne sumentibus, tantum e converso malorum iis sit allaturum, qui eo abusi fuerint; nam: »Mors est »malis, vita bonis." Inde certum quoque est, et experientia docuit, sacrilegos Sacerdotes non raro fidem amittere, indurescere in peccatis, et mori impœnitentes.

Frequens Confessio.

160. — 4° **Frequens Confessio.** Quantopere hæc conducat Sacerdoti, docemur a S. Carolo Borromæo, qui eam sæpius inculcavit diœcesis suæ Sacerdotibus. In primo Concilio provinciali sic statuit: »Quo puriores ad divinam »rem faciendam accedant, saltem singulis hebdomadis pec»cata sua confiteantur." Si tamen Confessarius longe distat, satis erit singulis quindenis confiteri. Et in Instructionibus suis: »Utpote alienarum conscientiarum judices, et »in viam salutis duces, maxime consentaneum est ut ipsi »conscientias suas mundare sæpius assuescant Confessionis »ope, et a probis viris ac peritis dirigantur." Hunc in finem opus est ut sibi eligant Confessarium doctum, pium et expertum; et, si talem invenerint, non facile ab eo recedant, ut monet idem S. Carolus in Decretis visitatoris: »Valde esset utile, ut Sacerdos unusquisque... cer»tum ac firmum Confessarium Sacerdotem haberet ex ap»probatis, a quo nisi in magna necessitate non recederet; »siquidem animæ solet non minus obesse Confessariorum »mutatio, quam corpori Medicorum." Ut porro ex frequenti Confessione optatos fructus colligant, semper debent

convenienter se præparare, peccata sua aperte confiteri, et directioni Confessarii se submittere.

161. — 5° **Amor studii.** Sacerdotes, qui hactenus proposita media cordi habent, procul dubio studii amantes erunt. Sibi traditum reputabunt monitum Apostoli ad discipulum suum Timotheum: »Attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ ... Attende tibi et doctrinæ; insta in illis. Hoc »enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te »audiunt." (1) Propterea Sacerdotes omnes satagere debent ut quotidie certum tempus studio præstituant et impendant; assiduum quippe studium Sacerdoti necessarium est tam ad propriam quam ad proximi salutem. a) *Ad proximi salutem.* In hoc modo Clero suo suadebat S. Carolus Borromæus: »Vestrum est fidelium mentes Christianæ fidei »Mysteriis et divinæ legis præceptis instruere; id quâ ra»tione fiet, neglectis studiis? Vestrum est Sacramentorum »vim et usum explicare; quo id pacto fiet, neglectis stu»diis? Vestrum est conscientiæ casus cognoscere; quonam »modo fiet, neglectis studiis? Annon fidelium mentes ad »cœlestium rerum cognitionem erigere vos convenit, annon »a terrenis abducere? Annon populum a male agendo de»terrere, annon eumdem ad virtutes, imprimis vero ad »Dei proximique charitatem inflammare oportet? Docendum »vobis sæpe est quodnam sit proprium uniuscujusque of»ficium, patris, filii, viri, uxoris, domini, servi, et reliquo»rum cujusvis ætatis et ordinis hominum. Has officii vestri »partes prætermittere vel deserere sine maximâ vestrâ »culpâ non potestis; quod tamen sæpe committitur im»peritiâ atque ignoratione earum rerum, quas vestrum »est nosse. Excitate igitur vos ad eam doctrinam, quam »Ordinis vestri dignitas deposcit." (2) Si nullo non tempore scientia ministris Ecclesiæ necessaria fuit, maxime tamen eam expostulat tristis temporum nostrorum conditio. Turbæ hostium circumvadunt Ecclesiam Dei, omnem revelationem divinam pernegant, vel prima religionis fundamenta et morum principia evertere moliuntur, quidquid

Amor studii.

(1) I. Tim. IV. 13. 16. — (2) Orat. in Syn. diœc. II.

sacrum in Ecclesiâ exsistit ludibrio habent; secta massonica præ cæteris omnem movet lapidem ut, suppresso regno Dei, adveniat regnum Satanæ. Hæc molimina ad omnem hominum conditionem extendunt, etiam ad infimam plebem, et tam in pagis quam in urbibus homines pervertere conantur. Oportet ergo ut Sacerdotes agmine conferto falsi nominis scientiæ illuminationique, quam novatores moderni promittunt, veri nominis scientiam opponant; scientiam, inquam, non qualemcumque, sed solidam, quâ valeant nutantes confirmare, deceptos reducere, et adversariorum captiones discutere. Præ oculis itaque habeant hanc Domini exprobrationem, quam fecit prophetis insipientibus: »Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro »domo Israël, ut staretis in prælio in die Domini." (1)

b) *Ad propriam salutem.* Studium orationi conjunctum ipsimet Sacerdoti multa bona affert, eumque a multis malis custodit; quam veritatem jam sæculo 8° patefecit Theodulphus Episcopus hisce verbis: »Oportet Sacerdotes et »assiduitatem habere legendi et instantiam orandi; hæc »sunt enim arma, lectio videlicet et oratio, quibus diabo»lus expugnatur: hæc sunt instrumenta, quibus æterna »beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur; his »alimentis virtutes nutriuntur.... Otiositas inimica est ani»mæ: et antiquus hostis quem a lectione sive ab oratione »vacantem invenerit, facile ad vitia rapit." (2) — Et S. Hieronymus scripsit: »Ama scientiam Scripturarum, et carnis »vitia non amabis." (3) Et revera, quânam occupatione statui suo dignâ Sacerdos otia sua transiget? Certe enim, si studium fastidiat, excursiones amabit, circulos consectabitur et pocula, laicos frequentabit, et ludi immodicus erit. Quis computabit mala, quæ ex ejusmodi vitâ redundabunt primò in ipsum Sacerdotem, deinde in gregem suum, si Parochus est?

Exercitia spiritualia.

162. — 6° **Exercitia spiritualia.** Quemadmodum satis non

(1) Ezech. XIII. 5.
(2) Theodulphus Aurelian. Episc. Capitul. II. ad Sacerdotes.
(3) Epist. 125 ad Rustic. Monach.

est horologium, ut horas recte indicet, quotidie revolvere, sed necesse est quotannis ferme machinam totam dissolvere, singulasque ejus partes purgare a sordibus ac pulvere, quæ adhæserint, ita non satis est Sacerdoti, ut vitæ sanctimoniam custodiat, animam suam quotidie in oratione componere, sed necesse est annis ferme singulis diligentiâ quâdam extraordinariâ explorare et componere statum animæ suæ, ut ab eâ auferantur sordes ac pulvis spirituales, quæ sensim sine sensu adhæserint. Fit autem istud in solitudine sacrâ exercitiorum spiritualium, quinque saltem dierum spatio continuandâ. Exercitia spiritualia prorsus necessaria sunt malis Sacerdotibus, ut convertantur ad Deum, et, si salutifero hoc remedio utantur, maxima spes affulget conversionis; bonis utilissima sunt et quodammodo necessaria, ut, quæ minus recte facta sint, emendentur, Confessione rite peractâ pristinus animæ candor restituatur, et primus fervor, qui nonnihil clanguit, exardescat denuo. Porro, ad fructus horum exercitiorum consequendos oportet ut quis in solitudinem hanc secedat vero accensus desiderio proficiendi; hoc enim desiderium præcipue a nobis Deus postulat, ut liberali manu cœlestem gratiam largiatur; deinde ut veram amplectatur solitudinem, omnem excludendo aliorum negotiorum strepitum, omne cum aliis sive per colloquia sive per litteras commercium, ut penitus meditari possit veritates æternas, orare in abscondito, et vocem Dei audire. Vix credi potest quantum emolumenti ex exercitiis spiritualibus in Ecclesiam universam redundarit. Hoc saluberrimum institutum Ecclesia acceptum refert S. Ignatio, qui fuit primus promotor eorum.

Articulus IV.

ERGA MAGNATES ET DIVITES.

Rei momentum et difficultas.

163. — Magnatum et divitum confessiones excipere est opus certe saluberrimum, non solum propter ipsorummet salutem, verum etiam quia bonum vel malum exemplum

eorum multum valet; est autem simul opus difficillimum, tum ob vitæ illorum conditionem externam, cujus rationem habere oportet, tum ob peculiares tentationum, quibus obnoxii esse solent, illecebras. Obnoxii enim sunt superbiæ, quæ reddit eos monitis Sacerdotum parum dociles; pacem habent in substantiâ suâ, nimirum adhærent divitiis suis, quarum ope paradisum terrestrem sibi creare nituntur, et de æternâ beatitudine adipiscendâ parvam curam habent; ideo a molestis vitæ christianæ præceptis abhorrent; unde mirum non est, inter magnates et divites hodie multos esse Liberalismo infectos, et erga Religionem indifferentes. Hinc difficile est hujusmodi pœnitentes moderari in arctâ viâ, quæ ducit ad vitam, æternam scilicet. Attamen hæc difficultas non debet Confessarium absterrere, sed zelum ejus acuere, ut cum congruâ discretione, industriâ, benignitate et fortitudine, ejusmodi pœnitentes a vitâ mundanâ ad vitam christianam transferat, ne aggregentur in numerum eorum, quibus Christus comminatus est: »Væ vobis, divitibus!"

Agendi ratio. 164. — Cæterum in tractandis magnatibus et divitibus Confessarius uti debet principiis et regulis communibus; quod enim Deus jussit principibus populi judaici, convenit quoque judicibus populi christiani in sacro Pœnitentiæ tribunali: »Nulla erit distantia personarum; ita parvum au»dietis ut magnum; nec accipietis cujusquam personam; »quia Dei judicium est." (Deuter. I. 17.) Unde Confessario sequentia observanda proponimus: 1° Sit cum hujusmodi pœnitentibus semper urbanus, puta quod attinet externam formam quæstionum, admonitionum, instructionum et adhortationum, quas eis impertire oportet; attamen cavendæ etiam sunt immodicæ urbanitatis formulæ. 2° Caveat ne iis aduletur peccatisque eorum conniveat ex imbecilli hominum timore, veritatem reticendo aut dissimulando. Pœnitentibus, utut conspicuis, ubi status eorum conscientiæ id poposcerit, pariter turpitudo vitæ corruptæ est ob oculos ponenda, media necessaria ad emendationem sunt injungenda, aut etiam, si opus fuerit, absolutio proroganda

Confessarius sit urbanus.

Non aduletur.

est. 3° Ea, quæ divitibus specialiter inculcanda sunt, succincte exposuit S. Paulus Timotheo hisce verbis: »Divitibus »hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare »in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat om»nia abunde ad fruendum), bene agere, divites fieri in »bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare »sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant »veram vitam." (I Tim. VI. 17-19.) Apostolus ergo primò docet vitia, a quibus cavere debent divites, a superbiâ scilicet, ne efferantur aliosque despiciant, et in divitiis confidentiâ, quippe quæ fluxæ sunt et fugaces. Secundò docet virtutes quas debent exercere, nimirum ut humiles et grati sperent in Deum vivum, qui semper manet, et a cujus munificentiâ omnia proveniunt; ideo propter illum bona faciant opera, liberaliter dent pauperibus, suasque divitias communicent. Hæc si fecerint, veras divitias sibi cumulabunt perpetuò duraturas. Thesaurus spiritualis est congregatio meritorum, quæ sunt fundamentum futuri ædificii, quod nobis præparatur in cœlo. *Congrua det monita.*

CAPUT IV.

MODUS SE GERENDI, HABITA RATIONE CONDITIONIS ANIMÆ.

Articulus I.

ERGA ERUDITOS.

Loquemur de eruditis 1° in genere, 2° de iis, qui in fide nutantes sunt.

165. — I. **Eruditi in genere.** Quum eruditorum exemplo plurimum ducantur et fascinentur homines illitterati et plebeji, magni interest illos christianam ducere vitam bonoque esse exemplo. Quando ergo viri litterarum studiis eruditi ad sacrum tribunal accedunt, Confessarius hæc spe- *In genere.*

cialia ergo eos teneat: 1° Pro scientiâ eorum tractet eos honoremque eis habeat. 2° Inter monita doctis viris danda, princeps nostris temporibus illud est, ne præ scientiâ profanâ fidem catholicam vilipendant. Sit sua cuivis disciplinæ laus, exerceantur ingenia, colantur artes atque scientiæ, attamen quam immense vera fides hæc omnia præcellit! Doctrina fidei, utpote a Deo fallere et falli nescio, omni caret errore omnique incertitudine; scientia profana, humanæ rationis fœtus, multis erroribus atque incertis hypothesibus obnoxia est; fide consequimur filiorum Dei consortium in hoc sæculo, et in futuro vitam possidebimus æternam; scientia profana angustis hujus vitæ limitibus arctata est, nec sine fide quidquam proderit post mortem. Neque grave nobis esse debet, veritates revelatas captum nostrum excedere; gaudeamus potius de illarum sublimitate, ut præter reliquas facultates etiam intellectum nostrum Deo mancipare liceat. Egregia sunt, quæ Thomas a Kempis hâc de re scripsit in aureo opusculo *De imit. Chr. lib.* 4. *c.* 18, e quo aliquot sententias excerpo: »Plus valet Deus ope»rari, quam homo intelligere potest.... Si non intelligis »nec capis quæ infra te sunt, quomodo comprehendes quæ »supra te sunt?.... Noli curare, noli disputare cum cogi»tationibus tuis, nec ad immissas a diabolo dubitationes »responde; sed crede verbis Dei, crede Sanctis ejus et »Prophetis, et fugiet a te nequam inimicus.... Nam infi»deles et peccatores non tentat, quos secure jam possidet; »fideles autem devotos variis modis tentat et vexat... Quidquid »intelligere non vales, Deo omnipotenti secure committe. »Non fallit te Deus; fallitur, qui sibi ipsi nimium credit... »Deus æternus et immensus infinitæque potentiæ, facit »magna et inscrutabilia in cœlo et in terrâ, nec est in»vestigatio mirabilium operum ejus. Si talia essent opera »Dei ut facile ab humanâ ratione caperentur, non essent »mirabilia nec ineffabilia dicenda." 3° Datâ opportunitate, prodest doctos viros catholicos hortari ut pro Ecclesiâ Catholicâ etiam decertent, puta in ephemeridibus, et maxime si sunt Deputati ad Comitia legislativa, orationibus et suf-

Fidem magni faciant.

De Religione bene mereantur.

fragiis ; præterea , sese aggregando catholicis consociationibus, etc. — 4° Sciat tamen Confessarius non deesse viros eruditos neglectæ conscientiæ, qui sunt passionum suarum mancipia , et non formidant gravia sua peccata reticere. Quamobrem Confessarius, si merito suspicatur pœnitentem suum reum esse peccatorum, quæ non confitetur, ne vereatur ipsum interrogare, e. g. circa lectiones, præcepta Ecclesiæ, officia status. — 5° Contingere potest ut ejusmodi vir, quantumvis eruditus in disciplinis profanis, ignarus sit in doctrinâ Religionis, et veritates Fidei etiam necessitate medii scitu necessarias ignoret ; eo in casu , ne pœnitenti ruborem offundat, modum instructionis indirectum adhibeat, v. g. supponendo illas veritates ipsi cognitas esse et ab ipso credi, Confessarius eas explicite commemoret, ut exinde vim et efficaciam , quam habent ad sectandam virtutem et fugienda vitia aut ad contritionem excitandam, deducat; præterea preces vel symbolum fidei, quæ veritates dogmaticas scitu necessarias continent, in satisfactionem pœnitenti injungat.

Nonnulli conscientiam negligunt.

Nonnulli doctrinam christianam ignorant.

166. — II. **Nutantes in fide.** Tamquam pro nostro tempore jampridem scripsit S. Hilarius: »Multi enim sunt, qui »simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibique fidem »ipsi potius constituunt quam accipiunt, sensu humanæ »inanitatis inflati, dum quæ volunt sapiunt, et nolunt sa»pere quæ vera sunt." (1) Quot laici doctrinâ exculti hodie inveniuntur, qui Catholici esse videntur, sed fidem reapse non habent! Propterea mirum videri non debet, si nonnulli inter illos reperiantur, qui ex motivo humano non formidant Communionem paschalem recipere sine fide in Christi præsentiam.

Nutantes in fide.

Quum fides sit radix justificationis, manifestum est absolutione sacramentali non tantum indignos , sed et incapaces esse, qui circa veritates fidei catholicæ increduli sunt easve in dubium vocant ; nisi resipiscere velint et verum actum fidei eliciant. Sed et tunc, si hæresim externe pro-

Absolutione indigni sunt.

(1) de Trinit. lib. 8. n. 1.

tulerint, et censuram non ignoraverint, prius indigent absolutione ab excommunicatione contractâ et specialiter Papæ reservatâ.

Fontes incredulitatis. Defectus instructionis.

Porro, circa hujusmodi fluctuantes in fide aut incredulos, sedulo attendendum est ad fontes incredulitatis. Præcipui sunt: 1° defectus solidæ instructionis in Religione; qui quidem defectus nostrâ ætate plerumque parentibus imputandus est, eo quod liberos suos scholis neutralibus commiserint, et christianam educationem neglexerint, imo indifferentiam in Religione ipsis verbo et exemplo inseverint. Ejusmodi ignorantibus debita instructio procuranda est vivâ voce, libris, etc. Si edoceri cupiant, inculpabiliter forte fluctuarunt; sin autem instructionem detrectent, a gravi culpâ nequaquam immunes sunt. 2° Sensualismus seu materialismus, quo homines mundani unice inhiant voluptates sensuum, divitias, et honores; inde exoritur occultum odium veritatis, quæ, utpote eorum pravis affectibus contraria, ipsis invisa redditur; propterea, ad conscientiæ angores sopiendos, dubia contra fidem sectantur, in iisdem sibi complacent, quidquid contra veritates fidei opponitur, libenter audiunt et legunt, et, quamvis veritas ipsis solide proponatur, suum tamen assensum suspendunt. 3° Turgida superbia, quam specioso titulo emancipationis generis humani vel independentiæ rationis humanæ condecorant; ejusmodi illuminatos se jactantes supra vulgus eminere volunt, et quidquid captum eorum excedit, contemnunt. Ambo hi fontes se invicem adjuvare solent. Non pauci quoque inveniuntur, qui ex ostentatione, ex desiderio sibi ipsis errores persuadendi, incredulitatem proferunt, corde tamen credunt.

Sensualismus

Superbia.

Remedia.

Quod remedia attinet, præcipuum, ne dicam unicum, est oratio, prout n. 69 et 70 exposuimus. Deinde dehortandi sunt a conversatione cum hominibus, qui dubia et errores spargunt, atque a lectione librorum et ephemeridum liberalium. Disputatio cum ipsis de veritatibus fidei passim vitanda est', nisi sincere doceri cuperent; neque ipsis suadendi sunt libri controversiarum; secus namque de fide ratiocinari pergunt, firmantur in opinione quod ratiocinio

perveniendum sit ad fidem, et, quod pejus est, eorum vanitas nutritur. (1)

Articulus II.

ERGA HEBETES.

Diversa agendi ratio pro diversâ origine hebetudinis.

167. — Inter homines ignaros veritatum fidei subinde occurrunt, qui ex hebetudine veritates scitu necessarias non cognoscunt. Caligo mentis in rebus fidei ex tribus causis oriri potest, et pro diversâ ejusdem origine diversus agendi modus adhibendus est. Porro, oriri potest 1° ex naturali complexione; quod colligitur ex eo, si homo etiam ad temporalia sit hebes. Hoc in casu, si pœnitens ostendat se esse bonæ voluntatis et innocenter vivat, Confessarius præeat ipsi actus fidei, spei, charitatis et contritionis eliciendo, prout capere poterit, sicque dispositum absolvat, jubeatque communicare. Quodsi tam hebes sit ingenio ut nullam propriam cognitionem de scitu necessariis veritatibus formare possit, æquiparandus est fatuo vel infanti. Cfr. Opus lib. II. n. 4. — 2° Ex senectute; quo casu, si senex antea sciverit ea, quæ sunt scitu necessaria, et adhuc subobscuram eorum notionem habeat, puta si Symbolum Apostolorum sciat, potest illi impendi absolutio et ministrari S. Communio, utpote habenti scientiam habitualem, quamvis nunc non clare ea videatur capere. Si autem ante senectutem non scivit ista, nec satis christiane vixit, laborandum est ut necessaria addiscat, quantum fieri potest, ut disponatur ad absolutionem, ne senio crescente decrescat capacitas. Si tandem plena sit hebetudo, infanti ac fatuo æquiparandus est. 3° Ex diuturna et vehementi consuetudine committendi aliqua peccata, quæ mentem obcæcant, uti sunt luxuria et ebriositas, juxta sententiam

(1) Scitissime et saluberrime de hâc materiâ conscripsit R. P. van Gestel S. J. opusculum hollandicum: »*Het geloof van den Christen.*" Eximium hoc opusculum perutile est laicis excultis, ut donum fidei acceptum custodiant vel amissum recuperent.

Apostoli: »Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spi»ritûs Dei." (1) Hujusmodi pœnitentes præ cæteris abducendi sunt a vitiis suis; secus namque frustranea erit instructio, frustranea erunt Sacramenta.

Articulus III.

ERGA TENTATOS.

Fontes tentationum.

168. — Omnis impugnatio virtutis dicitur tentatio. Ea autem oritur vel a *principio intrinseco*, scilicet a corruptione naturæ, carnis maxime; vel a *principio extrinseco*, et hoc dupliciter, quia illud, quod exterius est, vel impugnat per modum *objecti*, et sic tentatio est a mundo, cujus bonis corda hominum alliciuntur ad peccandum; vel per modum *agentis*, qui trahit ad peccatum persuadendo, terrendo, blandiendo, etc., et sic dicitur tentatio esse a diabolo, et ab iis qui sunt membra ejus. Tentationes sunt a nobis et a dæmone simul, si a dæmone et concupiscentiâ nostrâ oriantur; sunt a dæmone solo, si fiant cum impetu superante vires consuetas nostrarum passionum. Priores sunt magis communes; posteriores præternaturales sunt rariores. Non raro contingit ut pœnitentes ob tentationes, quas crebro et vehementer patiuntur, animo decidant. Hos jam docere oportet perpetuo decertandi necessitatem, tentationum fines, ac modum illis resistendi.

Necessitas.

169. — Quod *necessitatem* attinet, Scriptura docet: »Militia »est vita hominum super terram." (2) »Fili, accedens ad »servitutem Dei, sta in justitiâ et timore, et præpara »animam tuam ad tentationem." (3) Et de pio Tobiâ: »quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret »te." (4) Ratio autem hujus necessitatis est, quia proposuit Deus vitam immortalem 1ª velut coronam, ad quam contendimus; non datur autem corona sine victoriâ, nec victoria sine certamine, nec certamen sine hoste; unde Apo-

(1) I Cor. II. 14. — (2) Job. VII. 1. — (3) Eccli. II. 1. — (4) Tob. XII. 13. —

stolus ait: »Nemo coronabitur, nisi qui legitime certaverit." (1) 2° velut mercedem famulatûs, juxta illud: »Tentat vos »Dominus Deus noster, ut palam fiat utrum diligatis eum »annon in toto corde et in totâ animâ vestra." (2)

170. — Neque sapientissimi desunt *fines*, propter quos animas sibi addictas taliter exerceri permittit Deus. Tentationes enim 1° tribuunt testimonium virtutis; inter tentationes enim deprehenditur qualis quisque sit, »navis »quippe gubernatorem tempestas, athletam stadium, ducem »exercitûs acies, magnanimum virum calamitas, christia»num tentatio probat." (3) 2° Consolidant virtutem; sicut enim arbores profundius radicantur, si ventis agitantur et tempestatibus, sic virtutem probatio in tentationibus ad perfectionem adducit. 3° Dum experimur pericula earum, ostendunt fragilitatem nostram, indigentiam divini auxilii, atque ita in humilitate nos stabiliunt. Hanc rationem discimus ab Apostolo Paulo, cui »ad revelationum humi»liandam superbiam, monitor quidam humanæ imbecillita»tis apponitur." (4) 4° Docent nos diaboli invidiam et astus multiplices; unde discimus cavere torporem, et continuam vigilantiam exercere. 5° Multis meritis et præclaris coronis per eas ditamur, si eas vincimus, prout nos docet S. Jacobus I. 12: »Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam, »cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repro»misit Deus diligentibus se." *Fines.*

171. — Animum igitur nullatenus despondere, vel nos a Deo derelictos autumare licet, si tentationibus agitamur. Enimvero fidelis est Deus, qui non patitur nos tentari supra vires, sed accommodat auxilia sua tentationibus, ut cum *Spes victoriæ.*

(1) II Tim. II. 5.

(2) In Deuter. XIII. 3. dicitur: »Tentat vos Dominus," et in Epist. S. Jacobi I. 13: »Ipse neminem tentat." Apparentem hanc contradictionem dilucidat S. Augustinus in Epist. 205. ad Consent.: »Solvitur »quæstio, cum vocabulum tentationis diversas intelligentias habeat, eo »quod alia sit tentatio deceptionis, alia tentatio probationis. Secundum »illam non intelligitur qui tentat, nisi diabolus: secundum hanc vero »tentat Deus." Hinc, permittendo tentationes diaboli, Deus probat servos suos.

(3) Inter Op. S Basil. Serm. 13. de patient.

(4) S. Hieron. Ep. 39. n. 2.

tentatione possimus facere proventum. (1) Penes nos est victoria, modo velimus; diaboli impotentiam nocendi, nisi volenti, præclare describit auctor sermonis 37. n. 6 inter supposititios S. Augustini, ubi, postquam dixit Christum alligasse diabolum, pergit: »Sed dicit aliquis: Si alligatus »est, quare adhuc tantum prævalet? Verum est, fratres, »multum prævalet, sed tepidis et negligentibus, et Deum »in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim »tamquam innexus canis catenis, et neminem potest mor»dere, nisi eum qui se ad eum ultro mortifera securitate »conjunxerit. Jam videte, fratres, quam stultus homo ille »est, quem canis in catenâ positus mordet. Tu te ad illum »per voluntates et cupiditates sæculi noli conjungere, et »ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, solli»citare potest; mordere non potest, nisi volentem. Non »enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet a no»bis consensum, sed petit." Porro, sicut canis non solet allatrare domesticos suos, sed alienos, sic et diabolus, inquit Thomas a Kempis, »infideles et peccatores non ten»tat, quos secure jam possidet; fideles autem devotos »variis modis tentat et vexat." (2) Similiter S. Hilarius observat: »Tentatur statim post Baptismum Dominus, ten»tatione suâ indicans in sanctificatis nobis maxime diaboli »tentamenta grassari, quia victoria ei est magis exoptata »de sanctis." (3) Hinc tentationes graviores post conversionem indicium sunt quod homo evaserit e servitute diaboli; hujusmodi pœnitentes docendi sunt molestias continuæ pugnæ patienti animo perferre, ad expianda pristina peccata. Illud quoque notatu dignum est, diabolum semper tentare rudimenta virtutum, cum sciat se virtutes solidas subvertere non posse. — Absit ergo ut personæ piæ animo cadant, dum impiis, immundis nefandisque cogitationibus et aculeis divexantur; potius ex eo quod hostis tot impetus in illas moveat, Deo sese charas esse colligant.

---

(1) I Cor. X. 13. — (2) Imit. Chr. lib. 4. cap. 18. n. 3. — (3) In Matth. III. 1.

172. — *Media* generalia contra tentationes sunt humi- *Media generalia vincendi.*
litas, oratio, et fortitudo. Humilitas removet impedimenta gratiæ auxiliatricis; Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam: oratio impetrat gratiæ auxilia; fortitudo iis utitur. Sed juvabit aliquot consilia pro praxi tradere, quæ Confessarius, ubi convenire videbitur, pœnitenti suggerat. 1° Cumprimum tentatio quempiam adoritur, statim ab initio eam repellat, ne, si invalescere negligenter permittatur, tentatio tantâ virtute excrescat ut perdifficilis evadat victoria. Quare quilibet memor infirmitatis suæ illico ad Deum confugiat, juxta præceptum Domini: »Orate, ut »non intretis in tentationem," vel animum convertat ad honestam occupationem externam, vel actum virtutis, e. g. charitatis aut contritionis, aut virtutis oppositæ, eliciat. Optimum quoque est sanctæ crucis signo se armare. Sedulo autem cavenda est mentis perturbatio, quippe quæ tentationem augebit; unde, si quis non posset animo placato tentationi resistere, ille potius hostem contemnat et ad alia divertat. 2° Divino fretus auxilio, magno sit in tentationibus animo, memor quod omnia possit in Deo: »Resistite diabolo, et fugiet a vobis." (1) Quem dæmon pusillanimum advertit, illi magis assultabit, pollicens jam sibi victoriam, quam tentato præstaret fiducia magna in Deo. Diabolus haud absimilis est procaci mulieri, quæ, si virum videat timidum esse, magis insultat, si vero advertit impavidum, cedit. 3° Nolit altercari cum hoste, sed statim confugiat ad Deum; altercatio enim augebit tentationem, turbabit animum, eumque hostis involvet tenebris. Hoc consilium maxime valet in tentationibus contra fidem. 4° Virtutem tentationi oppositam constanter exerceat, ejus pulchritudinem et vitii contrarii turpitudinem meditetur; sic enim vitii horrorem et virtutis æstimationem amoremque augebit. 5° Tentationes, molestas præsertim, aperiat Patri spirituali; nihil enim magis odit Satan, quam suas machinationes non manere occultas. Hoc actu humilitatis fieri solet ut tentationes infringantur.

(1) Jac. IV. 7.

Media specialia.

173. — Pro diverso autem tentationum genere diversa certandi ratio obtinet, prout videlicet tentationum objecta amaritudinem creant, vel suaviter sensus alliciunt. Contra tentationes prioris generis non defensive tantum, sed et offensive obluctari prodest, v. g. quærendo occasiones subjugandi impatientiam, iram, vindictæ libidinem, vanam gloriam, etc. Ast tentationes blandæ, contra *castitatem* præcipue, fugiendo vincuntur; ideo fugiendæ sunt earum pugnæ, et a memoriâ excludendæ, et occasiones earum tollendæ. De cætero in hisce tentationibus cavendum est ne quis propter illas turbetur aut inordinate timeat, neque ad turpitudinem earum considerandam animum applicet; quia sic agendo augebit tentationem. Quapropter statim confugiat ad orationem, recurrat ad Beatam Virginem Mariam, dicendo v. g. »Jesu et Maria, succurrite mihi!" Obsequatur consilio alicujus sancti viri: »Si te libido in»vitat, memoriam mortis tuæ tibi objice. Propone tibi fu»tura tormenta, futurum judicium cogita. Reduc ad me»moriam horribiles pœnas inferni; ardor gehennæ exstinguat »in te ardorem luxuriæ." (1) Momentaneum est, quod delectat, æternum quod cruciat. De efficaciâ S. Communionis contra tentationes luxuriæ hæc habet S. Bernardus: »Duo »in nobis hoc Sacramentum operatur, ut et sensum minuat »in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino con»sensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo tam acer»bos sentit iracundiæ motus, invidiæ, aut luxuriæ, aut »cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori et Sanguini »Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo." (2) Post luxuriæ tentationem sollicite ruminari utrum in illam consenserit, minime expedit; nam tentatio facile redire posset.

Tentationes contra castitatem.

Tentationes contra fidem.

Pari modo repellendæ sunt tentationes contra *fidem*; videlicet cavenda est omnis disceptatio, omnis ponderatio suggestionum inimici, sed statim confugiendum est ad ora-

---

(1) Lib. de modo bene vivendi. cap. 23. n. 69. In app. oper. S. Bern. — (2) Sermo Cœna Domini. n. 3.

tionem, eliciendi sunt actus fidei, dicendo v. g. firmiter: »Credo quidquid docet Ecclesia Catholica, quippe quæ credit »et docet veritatem. Protestor me velle vivere et mori in »fide Catholicâ. Vade retro, Satan, qui protoparentes »nostros ratiocinando seduxisti." Si nihilominus tentatio pergat vexare, Confessarius exponat tentato motiva credibilitatis fidei nostræ, puta doctrinam sanctam et intemeratam, celerem diffusionem per totum orbem a pauperibus piscatoribus, prophetias circa eam impletas, tot miracula, ac tot millium martyrum sanguinem, quæ sunt argumenta luce clariora, et manifeste illam veram esse patefaciunt. Insuper personis excultis commendari potest lectio alicujus libri de veritate fidei tractantis. (1) (*n.* 238. 239.)

Agendi ratio post tentationem.

174. — Generatim post tentationem, cum victor fuit, unusquisque imitetur Apostolum, qui scripsit: »Deo autem »gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum »Jesum Christum." (2) Quodsi quis tentatione victus ceciderit, animum non despondeat, sed lapsûs sui pœnitens mox resurgat, juxta monitum Apostoli: »Filioli mei, hæc »scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, »Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum jus»tum, et Ipse est propitiatio pro peccatis nostris." (3) Interim ex lapsu cautior fiat, de seipso diffidat, hanc illamve occasionem declinet, et aliis, dum lapsi sunt, compatiatur. — Caveat Confessarius ne admirationem et multo magis ne indignationem ostendat, si quis ex iis, qui pie et religiose vivunt, inopinatò in gravę peccatum lapsus est; sed hujusmodi pœnitentem benevole adjuvet, animum ejus erigat, fiduciam, humilitatem, majoremque in posterum vigilantiam ei insinuet. Si talis pœnitens immodicam tristitiam

---

(1) Libri hujus generis sunt e. g. S. Alphonsus. *Verità della Fede.* Aug. Nicolas. *Etudes philosophiques sur le Christianisme.* Card. Dechamps. *Démonstration catholique.* Mgr. De Ségur. *Opuscules.* Hettinger. *Apologie des Christenthums.* Versio gallica: *Apologie du Christianisme.* Idem. *Lehrbuch der Fundamental-Theologie.* Wilmers. *Lehrbuch der Religion.* Van Gestel. *Het geloof van den Christen.*

(2) I Cor. XV. 57. — (3) I Joan. II. 1. 2.

demonstrat, Confessarius moderetur illam; hujusmodi tristitia sæpe ex rubore et humiliatione propriâ magis quam ex Dei offensâ oritur.

Vexationes piarum personarum.

175. — Nonnunquam contingit ut personæ piæ pravis cogitationibus et motibus, variisque timoribus jugiter cruciantur, puta cogitationibus impiis, blasphemis contra Deum, imprecatoriis contra proximum, imaginationibus ac motibus obscœnis, timoribus aut etiam desperatione circa salutem consequendam. Hujusmodi suggestiones animas illas multo magis cruciant quam tentant, et, nisi despiciantur, plurimum nocere possunt, imo et in desperationem conjicere. Prudens ergo Confessarius, ubi advertit pœnitentes talibus tentationibus vexari, eis injungat ut sese coram Deo humilient, suggestiones illas contemnant, ac nihilipendant, mentemque placide aliò convertant, quemadmodum circa scrupulos agendum est.

Articulus IV.

ERGA TRIBULATOS.

Fines tribulationum.

176. — »Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, »repletur multis miseriis," inquit S. Job. XIV. 1. Præter tentationes, multæ sunt tribulationes temporales, nimirum paupertas, labilis fortunæ status, morbi, amicitiæ dissolutiones, mortes charorum, et sexcentæ aliæ. Deus homini onus tribulationum imposuit, ut homo non vitæ præsenti, sed Summo Bono adhæreat, ut satisfaciat pro peccatis suis, utque per patientiam cumulum meritorum acquirat, quibus æternum fruiturus est in alterâ vitâ. Diabolus contrà iis utitur ad animum dejiciendum, ad provocandam impatientiam et desperationem, ad excitandam iram et odium contra proximum, et murmur contra Deum. Inde patet opus misericordiæ præstantissimum esse consolari mœstos, ut non modo diaboli tentationes repellant, verum etiam tribulationes hujus vitæ vertant in lucrum spirituale. Hoc ut præstet Confessarius debet quam maximâ benigni-

Bonum opus est tribulatos juvare.

tate excipere afflictos, omni patientiâ eos audire, iis compati, consolatoriis hortationibus eorum dolores lenire, animumque erigere ad adversa quæque generose sustinenda. Huic operi charitatis inservire possunt considerationes quæ sequuntur.

177. — Dominus noster Apostolos suos præmonuit di- *Motiva solatii.*
cens: »Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed »tristitia vestra vertetur in gaudium." (1) Tribulationes solent esse indicium filiorum Dei, et prædestinationis; quare Apostolus quoque nos hortatur: »Fili mi, noli negligere »disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris. »Quem enim diligit Dominus, castigat; flagellat autem »omnem filium, quem recipit." (2) Confirmatur omnium Sanctorum exemplo, de quibus Ecclesia canit: »Omnes »Sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent »ad palmam martyrii!" Certe, quo sanctiores fuerunt, tanto magis tribulationibus vexati sunt.

Ante omnia debet Confessarius hæc tria documenta inculcare: 1° Nihil sine Dei voluntate fieri, ut Scriptura docet: »Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas »a Deo sunt." (3) 2° Omnia provenire a Deo tamquam ab amantissimo patre, qui omnia ad utilitatem salutemque nostram ordinat. 3° Deum etiam vires tribuere ad ferendas tribulationes; neminem quippe prægravat.

Præterea hortetur afflictum ut Christi passionem ob oculos sibi ponat; hinc enim mirum robur et solatium oritur. Sæpe ad præmia tribulationibus promissa animum convertat, revocetque in memoriam hæc verba Apostoli: »Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram »gloriam, quæ revelabitur in nobis;" (4) etenim: »Momen»taneum et leve tribulationis nostræ, supra modum... æter»num gloriæ pondus operatur in nobis." (5) Meminerit quoties infernum vel purgatorium meruerit. Consideret crucem patienter toleratam, cum resignatione voluntatis

---

(1) Joan. XVI. 20. — (2) Hebr. XII. 5. 6. — (3) Eccli. XI. 14. — (4) Rom. VIII. 18. — (5) II Cor. IV. 17.

nostræ in voluntatem divinam, minus premere, dupliciter vero premere, si quis invitus eam ferat. Confugiat ad amantissimum Cor Jesu in SS. Sacramento latens, omnesque afflictos invitans: »Venite ad me, omnes qui laboratis et »onerati estis, et ego reficiam vos." (1) Item ad Beatam Matrem ejus, juxta S. Bernardi consilium: »Si insurgant »venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, »respice stellam, voca Mariam ... In periculis, in angustiis, »in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non re»cedat ab ore, non recedat a corde." (2)

Tandem, quantæ sit utilitatis afflictio in hoc mundo, S. Augustinus præclare docet: »Prosunt mala, quæ fideles »pie perferunt, vèl ad emendanda peccata, vèl ad excer»cendam probandamque justitiam, vèl ad demonstrandam »vitæ hujus miseriam, ut illa, ubi erit beatitudo vera at»que perpetua, et desideretur ardentius, et instantius in»quiratur." (3)

Articulus V.

ERGA SCRUPULOSOS. —

178. — Scrupulus non est tenebitudo conscientiæ, quâ verum peccatum pertimescitur et multâ sollicitudine vitatur; sed est inanis apprehensio, ex levibus fundamentis orta, ne peccatum sit quod tale revera non est.

Signa scrupulositatis.

Signa, quibus dignosci queat num persona scrupulosa sit, præcipua sunt: 1° Si quis ex frivolis rationibus, absque ullo rationabili fundamento, ad dubia et timores pronus sit. 2° Si in ipsis iis dubiis et timoribus inconstans sit, et ob quamcumque etiam levem speciem sententiam suam mutat, id modo illicitum judicando, quod prius licitum existimabat, et modo id licitum autumando, quod paulo ante illicitum videbatur. 3° Si in suis dubiis et

(1) Matth. XI. 28. — (2) Super *Missus est.* hom. 2. n. 17. — (3) De Trin. lib. 13. cap. 16.

hæsitationibus inquietudines, agitationes, et angustias experiatur. 4° Scrupulosi solent in suo judicio pertinaces esse, nec doctorum virorum, imo neque ipsius Confessarii sententiæ fidere, et post exquisita modo horum, modo illorum consilia tandem sibi solis credere. 5° Si de materiis, circa quas fluctuat, interrogatus ab aliis, respondeat nullum subesse peccatum, ipse tamen timeat nec operari audeat.

179. — Remedia removendis scrupulis idonea hæc sunt: *Remedia.* 1° Oratio. Prima enim scrupulorum origo in obscuratione mentis consistit, vi cujus inter peccatum leve et grave, inter actionem licitam et illicitam distinguere non valet; unde agitatio cordis consequitur. Quapropter lucem, quâ carent, a Deo jugiter efflagitare debent. 2° Confessario suo sese gubernandum tradere, et cæcam eidem obedientiam præstare. Hoc remedium est omnium efficacissimum. Scrupulosus enim recto conscientiæ dictamine est destitutus, eo quod intellectus ejus obscuratus est; unde alius rite operandi modus ei non suppetit, quam sapientis ducis judicio sese accommodare. Quare de hâc summi momenti veritate persuasum illum esse oportet, quod juxta Confessarii sui jussionem aut consilium agens peccare nequeat; cum Christus de ministris suis pronuntiaverit: »Qui vos »audit, me audit." (1) Sacra obedientia, quæ omnibus secura semper ad paradisum via exstitit, numquid solos scrupulosos ad perditionem deducet? Si serio sibi non proponant obedire, eorum sanatio desperata est. 3° Cor suum ope spei dilatare debent. Ideo Deum ut patrem amantissimum semper suspicere debent, ac frequenter considerare cruciatus et contumelias, quas pro nostrâ salute pertulit. Item Beatam Mariam Virginem filiali cum fiduciâ colere debent; est enim Mater nostra potentissima, tantoque magis misericors, quanto miseria nostra major est. 4° Fuga otii, ne menti spatium concedatur sese in scrupulis suis defigendi. 5° Angores conscientiæ soli Confessario suo, et

(1) Luc. X. 16.

ad summum in casu quodam insolito etiam alteri viro docto aperire. 6° De scrupulis ne secum ipso quidem ratiocinari, sed juxta Confessarii consilium eos non curare, sed despicere; nam qui secus fecerit, semper magis implicabitur et majori inquietudine obruetur. 7° Non legere libros, qui timorem excitant; neque cum scrupulosis conversari; neque concionibus terrentibus intervenire.

Privilegia scrupulosorum.

180. — Prædictis remediis addimus quædam scrupulosorum quasi privilegia, quæ illis ingenti adjumento esse possunt; nimirum 1° Scrupulosus cum timore peccati sive cum conscientiâ scrupulosâ operans non peccat, dummodo a Confessario suo resciat se in ejusmodi materiis scrupulosum esse, et timores suos tamquam scrupulos contemnat. Ratio est, quia ille non contra conscientiam, sed contra phantasticas umbras operatur. 2° Anxius circa consensum, quem pravis cogitationibus præstare sibi videtur, credere debet se nunquam mortaliter deliquisse; nam si anima peccatum mortale immodice pertimescens, illud cum deliberatione amplecteretur, hanc voluntatis suæ mutationem cum omni certitudine agnosceret. 3° Examina in actionibus suis adhibere non tenetur; siquidem respectu ipsius discutere et se implicare idem est. Unde, si peccatum, grave præsertim, primo obtutu non agnoscat, securus esse debet, et sine hæsitatione agere potest.

Directionis regulæ generales.

181. — Cura scrupulosorum est molestissima, cum iisdem semper scrupulis inquietentur et Confessarium vexent; est et difficillima, cum pauci perfecte sanentur. At eo ipso charitas, patientia, et prudentia magis necessariæ sunt in Confessario. Ad bonam eorum directionem sequentia monita proderunt. 1° Cum hujusmodi personis Confessarium sine hæsitatione procedere oportet, atque adeo cavere ne in responsis ullum dubii aut perplexitatis signum edat; secus enim earum timores augebit. 2° Responsionum suarum rationem ordinarie non reddat, sed cum auctoritate quæ agenda sunt decernat; nam rationes in scrupulosorum mentibus novarum cavillationum semina esse solent. 3° Curet ut ex falso conscientiam suam sedandi motivo nullam cul-

pam levem tamquam gravem, aut dubiam tamquam certam in Confessione exponant. 4° Cum omni lenitate et charitate illos tractet; nam afflicto afflictionem addere indecet. Subinde tamen, cum nempe inobedientes et indociles esse deprehenduntur, durius cum illis agere oportet ad mentis duritiem infringendam. 5° Postquam eorum scrupulos sæpius intellexerit, ipsosque debito modo instituerit, easdem ineptias repeti non permittat, sed tacere eos jubeat, erga decisiones jam datas obedientiam inculcando; ut ex contemptu, quem Confessarius erga eas monstrat, etiam ipsi eas contemnere discant. Propterea procuret ut non nisi de certis peccatis sese accusent, cumprimis de inobedientiâ et indocilitate erga Confessarium quantum ad contemptum scrupulorum, et, si talia non afferant, eos quandoque absque absolutione ad mensam sacram mittat. 6° Enitatur ut scrupulosus semper sit occupationibus distentus.

Directionis regulæ speciales.

182. — Prædicta monita generalia sunt; quædam addere conducet circa nonnullas materias in particulari. 1° Scrupuloso, qui in actionibus suis peccati timore semper angitur, dicat Confessarius, ut, si primo obtutu peccatum, grave præcipue, non agnoscat, actiones licitas judicet ac fidenter agat. 2° Anxio circa consensum præstitum pravis cogitationibus præcipiat, securum esse, prout supra dictum est. 3° Illi, qui vehementer inquietatur de Confessionibus vitæ præteritæ, si jam fecerit Confessionem generalem vel peccata anteacta aliquamdiu diligenter confessus sit, prohibeat ne ullum peccatum confiteatur, nisi plane certus sit illud revera mortale fuisse et nunquam clavibus subjectum. Quare jubeat eum præteritæ vitæ peccata generatim solummodo in memoriam revocare, quantum nempe ad dolorem de iis excitandum sufficit, et generatim eadem in Confessione includere. 4° Ei, qui in precum vocalium recitatione angustias patitur, eadem verba sæpius repetit, et easdem preces sæpius denuo inchoat, injungi oportet ut in orationum suarum recitatione progrediatur, et contempto inani timore, nil unquam repetat. 5° Prohibeat scrupuloso ne conscientiam examinet de iis rebus, de quibus scru-

pulum habet, sed absque fundamento. (*n.* 95-98.) Eamdem materiam tractavi in Opere lib. I. n. 48. seqq.

CAPUT V.

MODUS SE GERENDI, HABITA RATIONE CONDITIONIS CORPORIS.

Articulus I.

ERGA DIVERSA TEMPERAMENTA.

Temperamentorum numerus.

183. — Quum corporum temperamenta plurimum influant in animi affectiones, indolem illorum nosse conducet Confessario, ut in directione pœnitentium rationem illorum habeat. Distingui solent temperamentum sanguinosum, cholericum seu biliosum, melancholicum, nervosum, et phlegmaticum. Et quamvis hæc in singulis hominibus mixta reperiantur, unum tamen illorum prædominari solet. Porro de unoquoque temperamento dicemus quibus vitiis obnoxium sit, quibusque bonis dotibus gaudeat, ut inde Confessarius normam directionis sumat.

Descriptio.

184. — *Sanguinosi* propensi sunt ad impuros amores, amant delicias et oblectamenta; non arridet eis sui abnegatio, pœnitentia, jejunium. Lætabundi sunt et leves animo, libenter ineunt amicitias, amantes sunt societatis, ubi joci et gaudia inveniuntur. Hinc sunt suaves, affabiles, animosi, obsequiosi, liberales, tractabiles.

Cholerici proni sunt ad iram et æstum; ideo sunt audaces et animosi ad aliquid aggrediendum et exsequendum; magnanimi sunt; at etiam præcipites, impatientes, non raro blasphemi. Obnoxii sunt superbiæ et vanæ honoris cupidini. Multa peccata contra amorem proximi committere solent.

Melancholici sunt circumspecti, modesti, cogitabundi, constantes; at sunt etiam singulares, suspiciosi, critici, proprii judicii tenaces; amicitiam inire vix valent, nam

hominum consortium vitant, et solitudinem amant. Inde quoque officia erga proximum sæpe lædunt, in opprobria et convicia facile erumpunt.

Nervosi sunt valde excitati, propensissimi ad amorem, unde facile affectionem erga aliquem concipiunt; admodum obnoxii sunt commotionibus venereis. Amor nervosorum ex teneritudine quandoque in aversionem convertitur. Mutabiles sunt et phantastici, proclives ad impatientiam et zelotypiam.

Phlegmaticorum vitium præcipuum est segnities et tepor in omni bono; difficillime excitari valent ad bonum; amant pacem et quietem, carent fervidis passionibus; unde neque se dedunt magnis vitiis, neque elucent magnis virtutibus, sed mediocritate contenti sunt. Pacem et affectuum suorum requiem virtuti falso attribuere solent. Si quæ consilia sunt capienda, ancipites hærent et inopes consilii. Inde sunt quoque pusillanimi et inconstantes, et, si acriter reprehenduntur, animum abjiciunt. Attamen sunt mansueti, pacifici, dociles, fideles.

185. — Quod rationem attinet agendi cum diversis temperamentis, præ omnibus adverti oportet, non opprimendum esse temperamentum, sed regendum quodlibet, utpote ad diversas virtutes aptum. Hinc Confessarius nitatur *sanguinosos* (et idem fere valet pro *nervosis*) avocare a vanitatibus, amicitiis et periculosis conversationibus, ut mores graviores induant. Virtutem plenam suavitate et pace, quinimo, superatis initiis, omni exspectatione faciliorem depingat. Illorum attentio sæpius ad gaudia patriæ cœlestis dirigatur. Suaviter urgeri debent ut Sacramenta frequentent, pios libros legant, et a rebus etiam licitis sibi temperent. Si sunt occasionarii, rigidius tractandi sunt, ob eorum proclivitatem ad voluptatem; mitius vero, si sunt recidivi ex fragilitate intrinsecâ. *Dirigendi ratio.*

Cholericis sæpe ob oculos ponatur benignitas et humanitas divini Redemptoris, qui suos discipulos ita invitat: »Discite a me, quia mitis sum et humilis corde." Quum eorum actuositas justis limitibus continenda sit, Confessa-

rius eos excitet ut omnes actiones suas considerate et recto ordine peragant. Quum facile sibi persuadeant peccata sua non tam voluntati suæ, quam præcipiti temperamento imputanda esse, Confessarius conetur eos adducere ad agnoscendam suam culpam et pœnitendum. Doceat eos animum non despondere, si subito et absque deliberatione in eosdem reciderint passionum motus; sed eo instantius petant divinum auxilium. Doceantur insuper fugere omnem occasionem iræ, rixæ et controversiæ, modestiam et prudentiam servare in conversatione, aliis non obtrudere suam opinionem, ac conversationem quærere cum hominibus, qui pacato sunt animo, ut eos æmulentur.

In *melancholicis* dirigendis Confessarius conetur benigno agendi modo eorum fiduciam sibi conciliare; quapropter caveat ne quam ansam eis præbeat diffidendi de Confessario, nam facile suspicantur. Quum neglecta vel læsa erga proximum officia vel non agnoscant, vel ob temperamentum suum excusent, Confessarius concedat quidem eis difficilem esse mansuetudinis et patientiæ observationem, attamen moneat, gratiâ Dei opitulante, in eorum viribus esse difficultates paulatim vincere, atque adeo peccata contra proximum inexcusabilia esse. Hortetur illos vitare solitudinem et otium, quærere vero societatem et laborem; proponat ipsis quam proficuum sit, quam Deo gratum, servire Domino in lætitiâ, allegetque eis aliquot sententias S. Scripturæ, e. g.: »Hilarem datorem diligit Deus." (1) »Servite »Domino in lætitiâ." (2) »Gaudete in Domino semper; »iterum dico: Gaudete." (3)

Pro *phlegmaticis* Confessarius ita attemperet opera virtutis et pœnitentiæ excercenda, ut videant sibi inesse vires ad illa exsequenda. Sæpe in phlegmaticis recondita latet major quædam voluntatis potentia seu energia, quæ per seriam Confessarii monitionem est excitanda, et jugiter novis stimulis urgenda, ita tamen, ut congenitæ illorum inertiæ ac languori in rebus non præceptis Confessarius aliqua-

(1) II Cor. IX. 7. — (2) Ps. XCIX. 2. — (3) Philip. IV. 4.

tenus indulgeat. Eum in finem proponi ipsis possunt nonnullæ sententiæ S. Scripturæ, e. g.: »Qui certat in agone, »non coronatur, nisi legitime certaverit.“ (1) »Vigilate, state »in fide, viriliter agite, et confortamini.“ (2)

Temperamentum eroticum.

186. — Prædictis temperamentis adjungi potest aliud quoddam extraordinarium, quod *eroticum* vocant. Consistit in assiduâ libidine indomitæ carnis, adeo ut in hominibus tali temperamento præditis minima libidinis scintilla magnum producat incendium, quod nonnisi expletâ passione exstingui solet. Infelices cælibes isti obscœnis cogitationibus et phantasmatibus jugiter replentur, ac vehementibus tentationibus carnis agitantur. Temperamentum istud vel nativum est vel adventitium; utplurimum advenit iis viris et fœminis, qui commotionibus carnis multum indulgere, theatris, lectionibus, vesanis amoribus nervos excitare solent; attamen honestissimi etiam cælibes possunt hâc infirmitate affligi. Homines, qui tali temperamento laborant, nisi omnia media tam naturalia quam supernaturalia diligenter adhibeant, caste vivere non valent. Confessarius igitur infelicium istorum commisereatur, eosque omni paternâ sollicitudine adjuvet ut carnis rebellionem eluctentur; ideo animos illis addat ad luctandum, urgeat eos ad fugienda omnia pericula castitatis, ad frequenter orandum, tentationum tempore præcipue, ad meditandas veritates æternas, ad frequentanda Sacramenta, ad matrimonium ineundum, si fieri potest, demum ad temperantiam in cibo et potu, in somno, etc.

Hysteria.

Adhæc notare juvat, ex perturbatione nervorum unà cum effervescentiâ eroticâ subinde oriri morbum, qui *hysteria* appellatur, de cujus naturâ non constat inter peritos. Morbus iste, cum gravis est, interdum causat paroxysmos similes epilepsiæ. Quum hæc infirmitas fœminas male moratas præsertim afficiat, caveant Confessarii ab hystericis; fallere namque istæ vehementer appetunt, valdeque callidæ sunt ac pervicaces ad ea, quæ sibi proposuerunt, asse-

(1) II Tim. II. 5. — (2) I Cor. XVI. 13.

quenda; quem in finem omnia tentant, omnia perferunt. Ideo in hysteria occurrunt pietas simulata, visiones et miracula ficta, falsæ exstases, paroxysmi qui periculosi videntur. Optimum remedium est, mira ejusmodi phænomena floccipendere. Hysteria fere nunquam mortifera est. Confer Capellmann. *Medic. past. pag.* 52.

Articulus II.

ERGA INFIRMOS.

Officium eis assistendi.

187. — Agimus hoc loco de graviter ægrotantibus. Rituale Romanum *tit.* 5. *cap.* 4. *n.* 1. loquens de officio Parochorum ait: »Parochus in primis meminisse debet non »postremas esse muneris sui partes, ægrotantium curam »habere. Quare cum primum noverit quempiam ex fidelibus »curæ suæ commissis ægrotare, non exspectabit, ut ad »eum vocetur, sed ultro ad eum accedat: idque non semel »tantum, sed sæpius, quatenus opus fuerit; horteturque »parochiales suos ut ipsum admoneant, cum aliquem in »parochiâ suâ ægrotare contigerit, præcipue si morbus gra»vior fuerit."

Cura infirmorum, addit S. Alphonsus, non Parochorum tantum munus est, ad quos animarum cura ex officio pertinet, sed opus charitatis est omnium Confessariorum, imo omnium Sacerdotum. (*n.* 228.)

Confessarius vocatus ad infirmum, vel ultro ad eum accessurus, debet, ut ait Rituale n. 7, ita paratus esse ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, quibus eum in Domino consoletur, excitet, ac recreet. Debet porro graviter ægrotantem juvare tum ope Confessionis, tum aliis auxiliis. Quomodo hoc opus recte perficere valeat, ex ordine exponemus.

§ I. Confessio ægroti.

Prudenter procedendum.

188. — 1° Ubi fieri potest, Confessarius clam procuret a medico scire an infirmitas sit mortalis. Dico: *clam;* quia

detestabilis usus medicorum est ægrotos decipere, ne eos et propinquos contristent, perinde ac si infirmis obligationem confessionis intimare (quam, cognito periculo, illis intimare debent) idem sit ac mortem denuntiare. (*n.* 229.) Clam quoque dicat domesticis ut interrogent infirmum annon cupiat habere alium Confessarium, addatque id sibi nequaquam ingratum fore.

2° Si non novit infirmi personam, conditionem, et habitudinem, conetur prius, si tempus ferat, intelligere qualis sit, v. g. an petierit Confessarium, an credatur morti vicinus, an sit confessus a longo tempore, an testamentum fecerit; item, quod vitæ genus tenuerit, puta quibus indulserit passionibus; deinde an aliquid sit magni momenti, de quo monendus sit, puta an odium aut pravam amicitiam habuerit, ad aliquam restitutionem teneatur, ut omnibus opportunum præbere possit remedium. Hæc, vel quædam ex his, prout convenire videbitur, a conjunctis, amicis, necnon ab ipsomet ægroto, perquirat. — Caveat ne sine necessitate mentionem faciat de personis odio habitis aut impure dilectis. Vulneratum, postquam quidquid ad remissionem pertinet provisum fuerit, non interroget quis illum, quâ de causâ, vel quomodo læserit; et, si infirmus hâc de re loquatur, sermonem ad aliud divertere curet. Et similiter, si necessitas non urgeat, nec de litibus, filiis, bonis, aliisque rebus mundanis verbum faciat. (*n.* 230.)

3° Si infirmus est peccator publicus, e. g. bona aliena retinens, in concubinatu vel in sic dicto matrimonio civili vivens, communiter hujus confessio audiri non debet priusquam emendationem et debitam satisfactionem ex animo promiserit; nam, si Confessarius ejus confessionem audiat, et infirmus præscriptis Confessarii obtemperare nolit, uti non semel contingit, Confessarius sigillo obstrictus sinere cogetur ut Viaticum et Extrema Unctio indigno ministrentur, imo forte ipsemet illa ministrare debebit; quod incommodum vitabit hujusmodi difficultates ante expediendo, et, si infirmus paratus non sit, confessionem nullatenus excipiendo.

4° Si Confessarius vocatus non fuit ab infirmo ut confessionem ipsius excipiat, et periculum mortis non imminet, non statim in primâ visitatione ingerat mentionem confessionis, sed eum amice salutet, quærat de morbo, doloribus, quiete, etc.; de his enim infirmi libenter loquuntur, sicque ejus benevolentiam lucratur. Ostendat commiserationis affectum, hortetur deinde ut se Dei voluntati conformet, utque suas cum Christo in cruce languenti pœnas conjungat, necnon ut eas pro peccatorum satisfactione patienter ferat. Inde pedetentim, quâ par est prudentiâ, in secundâ vel tertiâ visitatione illum ad confessionem faciendam disponat; quem in finem tempus a quo confessus sit ab eo quærat; insinuet ipsi expedire confessionem antequam invalescat vis morbi, qui difficiliorem illam reddit, confessionem profuturam pro quiete animæ, ad morbum fortiter et cum fructu ferendum, imo etiam pro salute corporis, si animæ expedierit. Excitet in eo spem fore ut Deus velit ipsum ab hâc infirmitate eripere; at eodem tempore provide efficiat ut ægrotus suæ infirmitatis gravitatem agnoscat; moneat ipsum ne plenam fidem præbeat medicis et propinquis, qui forte morbi gravitatem ei celabunt, ne ipsum mœrore afficiant.

Si infirmus petat dilationem.

189. — Si ægrotus petat dilationem pro confessione, et periculum mortis, lethargi, vel delirii, imminens non sit, illa concedenda est; sed Confessarius conetur efficere ut æger determinet tempus, puta serotinum vel diem crastinum, quo confessio expleatur. Sin autem periculum imminens est, dicat illi cum S. Augustino, (1) Deum promisisse veniam peccatori pœnitenti, diem vero crastinum pollicitum non esse; fortasse dabit, fortasse non dabit. — Quodsi infirmus pergat procastinare vel renuat confessionem, inquirenda est causa cur nolit confiteri. Est autem hæc, vel 1° quia implexam et peccatis oneratam habet conscientiam, ac propterea de bonâ confessione faciendâ, tamquam de re, quæ ejus vires superat, desperat; vel 2° quia corde

(1) Enarrat. in psalm. 144. n. 11.

indurato est, ita ut nullâ salutis suæ tangatur curâ, vel ita desperat de salute suâ ut nullam amplius de suâ conversione hujusque mediis cogitationem admittat. In istis adjunctis Sacerdos non debet infirmum deserere, sed usque ad extremum spiritum ei adsistere. Si prima causa obtinet, Confessarius operam suam liberaliter offerat, promittatque infirmo se confessionem illi facillimam redditurum; certum illum securumque esse jubeat de misericordiis Domini, dummodo ex animo peccatorum suorum illum pœniteat, et modo quo potest se accuset; repræsentet illi quantâ animi pace, quantâ tranquillitate mox fruiturus sit, cum primum suam confessionem terminaverit. Ad excitandam spem et fiduciam, revocet illi in memoriam passionem Filii Dei pro peccatoribus; parabolas filii prodigi, ovis perditæ et recuperatæ, gaudium Angelorum super uno peccatore pœnitentiam agente; exempla Davidis, Petri Apostoli, Magdalenæ, boni Latronis, etc. Si altera causa subest, nihil prope est æque arduum et difficile, ac movere cor obduratum; in hujusmodi animo fides semimortua est; ideo opus est magnâ et singulari misericordiâ Dei, quæ instanter ac ferventer a Deo petenda est. Infirmo hujusmodi proponenda sunt per intervalla motiva tam terrifica quam consolatoria, puta infelicitas peccatoris impœnitentis, rigor judiciorum Dei, æternitas pœnarum sine spe ullâ commutationis; felicitas peccatoris Deo reconciliati, pax conscientiæ, quâ fruitur, gaudia æterna, quæ ipsum præstolantur. Si miser hisce nihil flectatur, Confessarius illum ad tempus sibi soli relinquat ut audita recogitare possit; interea Deum Beatamque Virginem ferventer oret, aliorumque preces imploret. Redux denuo conetur cordis ejus duritiam emollire; quinimo, etsi repulsus, identidem apud ægrum instet; omnis quippe in id opera conferenda est, ut anima ab æterno exitio subtrahatur, et de nullius salute desperandum est, quamdiu spirat. (*n.* 231. 232.)

Agendi ratio in Confessione.

190. — 5° Si infirmus paratum se ostendat ad confitendum, oportet ut Confessarius eum adjuvet. Quod spectat integritatem confessionis, procedat, prout status morbi

feret; caveat ne nimis rogando, præsertim circa numerum et circumstantias peccatorum, molestiam afferat infirmo; memor sit magis momentosam esse pœnitentis dispositionem, quam confessionis integritatem. Præstat porro ut ægrotum interroget, et ita quidem ut hic non debeat multum loqui. Placet quædam recensere, de quibus interrogare ægrum interdum conducet, pro personarum nempe diversitate; sunt autem hæc: annon habeat forsan peccatum grave olim commissum, nec unquam in confessione expositum; annon retineat bonum alienum, vel aliunde restitutionem alicui debeat; an gerat odium contra aliquem; an olim consuetudine graviter peccaminosâ fuerit irretitus, et an lapsus illos postmodum generali confessione expiaverit. Si pœnitens teneretur ad aliquam restitutionem, quam valet tunc implere, ei injungendum est ut statim satisfaciat; et non sufficit hoc onus transferre in hæredes; nisi hi prorsus fidi sint, vel moribundus bonâ fide arbitretur se hoc modo satisfacere et periculum esset in monitione. Deinde hortetur eum et excitet ut condonet omnibus, qui eum aliquando offenderunt, et veniam petat ab iis, quibus ipse injurias et offensas irrogavit. Præterea, si impuro amore implicatus esset, oportet quamprimum occasionem removere. Absoluta confessione, Confessarius pœnitentem benigne alloquatur, et excitet ad contritionem et propositum, imo plurimum juvat ut cum eo eliciat actum contritionis; imponat illi leviorem quamdam pœnitentiam, quam mox persolvat, atque adjungat aliam proportionatam, quam pœnitens impleturus est, si convalescat, vel satis erit ei injungere ut sanatus redeat. — Si infirmus non potest solus confiteri, eo quod nequeat ab assistentibus deseri, uti sunt recenter vulnerati vel mulieres parturientes, et periculum est in morâ, tunc satis est quod Confessarius quærat an se accuset et doleat propter Deum offensum de omnibus peccatis suis, et speciatim (ubi commode fieri potest) de aliquâ culpâ leviori, e. g. de inobedientiis, de impatientiis, cum proposito integre confitendi, si convalescat. (*n.* 105.)

§ II. Alia auxilia.

191. — Præter supradicta, alia quædam monita utilia subnectimus. Sollicitus sit Sacerdos ut infirmos periculose decumbentes sæpe visitet, et eo sæpius, quo morti propiores sunt; eo enim tempore corpus infirmorum viribus exhaustum est, animus fractus imbecillusque; dæmon vero ut leo rugiens prædam avidissime inhiat, sciens se eam aut tunc aut nunquam sibi vindicare posse. — Ad modum porro ægris assistendi quod attinet, tria Sacerdoti spectanda sunt, nimirum 1° tollere omnia impedimenta salutis, quæ ex parte ipsius ægroti se offerunt; 2° tueri illum ab assultibus, quibus dæmones eum forte aggredientur; 3° omne subsidiorum genus illi subministrare, quæ in periculoso illo transitu opem afferre possint. *Frequens visitatio.*

192. — 1° Ordiendo a tollendis impedimentis, quorum præcipua sunt amor vitæ, amor conjunctorum, et cura rerum temporalium, ante omnia aperiendum est infirmo mortis imminentis periculum, non importune, sed caute, ita ut initio obscurius significetur, postmodum vero, cum propius ad rem venitur, sine ambagibus aperte denuntietur; quo facto, horror mortis, cum mors in conspectu est, quantum fieri potest leniendus est, exponendo illi magna quæ sibi comparabit merita vitam Deo sacrificando, quum nunquam hoc sacrificium tam meritorium sit, quam cum mortis subeundæ amarum momentum imminet; item, proponendo illi hujus vitæ, quam deserit, calamitates, et gaudia alterius vitæ, ad quam transit; manifestando illi suavissima divinæ providentiæ consilia, quæ tum nobis vitam abrumpit, cum ad salutem nostram maxime conducit. Deinde ægrotus securus reddendus est quod Deus in suam tutelam providissimam accepturus sit conjugem, liberos, familiam, et omnia negotia illius, qui, ad voluntatem suam cum adorandâ Dei voluntate conformandam, volens libensque acceptat mortem, eo ipso tempore, quo Deo placuerit illam mittere. Denique, si de rebus temporalibus adhuc aliquam dispositionem faciendam *Impedimenta salutis amovere.* *Amor vitæ.* *Amor Conjunctorum.* *Cura temporalium.*

habeat, hortandus est æger ad illam tempestive conficiendam, ut curis omnibus plane liber sit. Si bona fortunæ æger possideat, Sacerdos suadeat ei ut levamini animæ suæ prospiciat; caveat autem ne ullam cupiditatis suspicionem excitet, aut odium propinquorum in se commoveat. Consultum quoque est ut infirmus ea, quæ vivens in animæ suæ salutem exsequi potest, hæredibus non facile committat; sæpe enim evenit ut legata pia vel nullatenus vel nonnisi post longam moram ab hæredibus exsecutioni mandentur. (*n.* 233.)

Pravi socii. Si infirmus ex eorum numero est, qui antea socios impietatis et dissolutionis habuit, Confessarius omnibus viribus enitatur ut illi arceantur; ideo tum apud ægrotantem tum apud familiam procuret ut sub specie necessariæ requietis et medici præscriptione, nunquam, aut saltem (si plus obtineri nequit) nunquam soli admittantur; secus frustraneus erit labor Confessarii.

Contra dæmonem munire. 193. — 2° Quum infirmi sæpe soleant dæmonis tentationibus impeti, necesse est etiam contra hostis insidias eos obarmare. Idcirco observandæ sunt indoles, propensiones et mores ægrotantis; ferme enim illam partem aggreditur hostis, quæ cæteris debilior est. Satagat autem Sacerdos ut ægrum inducat ad manifestanda confestim, quæ hostis suggesserit. Porro generalia contra quascumque tentationes remedia sunt SS. nomina Jesu et Mariæ sæpius invocare, et crucis signo se munire. Pro aliquibus tamen specialibus dæmonis insidiis expedit hìc quasdam suppetias adducere. — Pro tentationibus contra *fidem*. Hâc tentatione (præ cæteris formidabili) specialiter agitari solent illi, qui perditam vitam egerunt, et maxime si viri docti fuerunt propriique judicii amantes. Si dæmon aliquod eis dubium aut subtilitatem suggerat, non discurrant, sed statim constanti animo generatim respondeant: »*Credo quod credit S. Ecclesia, quæ veritatem credit;*" Deo gratias agant quod ipsos in Ecclesiæ sinum ab incunabilis recipere dignatus sit, ac protestentur se in illâ fide vivere velle et mori. Melior modus repellendi hujusmodi tentationes est mentem aliò divertere

Tentationes contra fidem.

aliosque elicere actus, puta contritionis, fiduciæ, amoris Dei, et similes. Quodsi tentatio vexare pergat, Sacerdos exponat infirmo motiva credibilitatis, quæ fidem nostram veram esse evidenter demonstrant. — Contra tentationem *desperationis*. Hæc est tentatio, quâ infernus magis impugnat moribundos; unde non convenit tunc loqui illis de divinâ justitiâ, de pœnis damnatorum, de gravitate peccatorum eorum; sed præstat ipsis sæpe insinuare sensa fiduciæ in misericordiâ Dei, in passione Jesu Christi, in divinis promissis, et in intercessione B. Virginis atque Sanctorum. Deus enim in S. Scripturâ vocatur Pater misericordiarum, multus ad ignoscendum (1); protestatur se nolle mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat (2); promittit peccatori pœnitenti oblivionem omnium iniquitatum ejus (3); unus actus doloris sufficit ad innumera peccata delenda; testis est publicanus, qui vix dum dixit: »Propitius esto mihi peccatori," justificatus est; filius prodigus, cumprimum ad pedes patris rediit, amplexu a patre exceptus est; David, simul ut dixit: »Peccavi," responsum accepit a Nathan prophetâ: »Dominus quoque transtulit »peccatum tuum;" latro in cruce accepit a Christo promissionem paradisi. Hisce argumentis accedunt tum passio Jesu Christi, qui, ne peccatores pereant, seipsum ad mortem crucis tradere non dubitavit; tum promissa divina, quorum virtute satis est gratias a Deo petere ad salutem, et certe obtinentur; tum denique intercessio Sanctorum, præsertim divinæ Matris, quam Ecclesia vocat nostrum refugium, vitam, et spem, et ad quam si peccator recurrat, non rapietur a dæmone. — Contra tentationem *impatientiæ*. Si infirmus ob morbi dolores impatientiâ afficitur, ostendatur illi quanta martyres passi sint, qui vivi excoriati sunt, articulatim trucidati, lento igne exusti. Super omnia ob oculos ejus ponatur quanta Jesus innocens passus sit, qui amore nostri plus quam cuncti martyres per-

Contra spem.

Contra patientiam.

(1) II Cor. I. 3. Isai. LV. 7. — (2) Ezech. XXXIII. 11. — (3) Ezech. XVIII. 21.

tulit. Dicatur ægroto infirmitatis dolores inevitabiles esse; unde, si impatienter eos ferat, passio accrescet in hâc vitâ et pœna in purgatorio; contrà vero, si dolores pro Deo acceptet, passio levabitur in hâc vitâ, purgatorii pœnæ minuentur in alterâ, et præmium merebitur in cœlo. Momentaneum est quod cruciat, æternum quod delectabit. Hisce aliisque motivis oportet infirmo inculcare ut in omnibus Dei voluntati acquiescat, non solum cum dolores patitur, verum etiam si medici errant, aut assistentes ipsius curam negligunt. Hinc crebro excitandus est ad patientiam a Deo expostulandam. — Contra tentationem *odii.*

Contra charitatem proximi.

Si quis propter aliquam offensam acceptam odio tenetur, ob oculos ejus ponendum est 1° præceptum Dei: »Diligite »inimicos vestros;" 2' eum, qui non dimittit, nec veniam sperare posse a Deo; dum contrà Deus promittit certam veniam illi, qui dimittit: »Dimittite, et dimittemini;" (1) 3° quod si inimicus fecerit ipsi injuriam, quanto majores injurias ipse intulit Deo! Quamobrem, si cupit ut Deus ipsi ignoscat, quanto magis oportet ut ipse ignoscat proximo suo! »Sicut Dominus donavit vobis, ita et vos." (2) Demum ostendatur illi exemplum Jesu Christi, qui pendens in cruce oravit pro crucifixoribus suis; quod exemplum Sancti omnes imitati sunt. (*n.* 237—253.)

Subsidia procurare.

194. — 3" Præter armaturam contra dæmones, ægris etiam spiritualia emolumenta diligenter procuranda sunt.

Sacramenta.

a) Nullâ autem re plus emolumenti afferri ipsis poterit, quam operam dando ut Sacramenta ab ipsis sæpius suscipiantur, et præcipue ut morientium Sacramentis tempestive muniantur. Ad Viaticum et Extremam Unctionem suscipiendam infirmus suaviter inducendus est, dicendo v. g.: »Frater »mi, sanatio tua non est desperata, in periculo tamen est; »ideo expedit ut quantocius Sacramenta accipias; nam »Jesus Christus in pristinam te restituet sanitatem, si »tuæ æternæ saluti conducat; sin autem mori debeas, vires »tibi largietur contra tentationes, et tui itineris ad bea-

(1) Luc. VI. 37. — (2) Coloss. III. 13.

»tam patriam comes erit. Quid dicis? Nonne cupis ea acci-»pere? Si ita est, præpara igitur animam tuam ad recipi-»endum tuum Redemptorem, qui pro te mortuus est." Utile foret, si quis infirmo præiret eliciendo actus breves præparationis et gratiarum actionis pro S. Communione. Sacramentis morientium administratis, Sacerdos non putet omnia jam in tuto esse; fieri namque potest ut ægrotus subinde iterum irascatur, impatiens sit, aut etiam gravioribus peccatis iterum obstringatur; ideo ei sedulo subveniendum est ad mortem usque. *b*) Aliud adjumentum erit, si proponantur ægrotanti, prout ejus conditio feret, aliquæ breves orationes jaculatoriæ, et pii mentis ad Deum affectus, quos ipse sæpe repetat; oportet enim semper orare et non deficere (1) usque ad extremum halitum; *c*) item, si suggerantur ei exercitationes virtutum illi tempori maxime respondentium, actus nempe fidei, spei, charitatis, contritionis perfectæ de peccatis commissis, conformitatis cum divinâ voluntate. Hæc tamen opportune et discrete suggerantur, ne ægroto molestia, sed levamen afferatur; quapropter caveat Sacerdos ne nimis loquendo, ne voce elatiore, ne nimis interrogando molestus sit; intermittat identidem sermonem, et crebro aliquid suggerat, quod animos addere, quod juvare suâ brevitate possit. *d*) Non leve quoque emolumentum erit, si morti proximus varias, quas potest, indulgentias lucretur. *e*) Tandem, ad sensa pietatis in infirmo excitanda, sacras imagines Christi Domini crucifixi et B. Mariæ Virginis ob oculos ejus apponi Sacerdos curet. *f*) Vasculum item adsit aquæ benedictæ, quâ frequenter aspergatur, et fugentur infestantes dæmones. (*n.* 234. 235. 267. 268. Rit. Rom. *tit.* 5. *cap.* 4. *n.* 6. 13. 14.)

Preces jaculatoriæ.

Actus virtutum.

Indulgentiæ.

Sacræ imagines.

Aqua benedicta.

§ III. Affectus ægrotis suggerendi.

195. — In visitationibus infirmorum utilissimum est eis suggerere actus tum virtutum theologicarum tum aliarum

Actus fidei.

(1) Luc. XVIII. 1.

virtutum; hi enim, si paucis verbis, articulate, et interrupte exerceantur cum ipsis, infirmos mirum in modum erigunt et corroborant.

I. **Actus fidei.** Elici potest recitando coram infirmo Symbolum Apostolicum, et infirmus ad singulos articulos dicat: »Credo," vel breviter hoc modo: »Credo, Domine, »quidquid per Ecclesiam tuam sanctam, catholicam, cre»dendum proponis; et ideo firmissime credo, quia tu re»velasti, qui es infinita veritas, qui nec fallere nec falli »potes. — Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam. — »Gratias tibi ago, quod me Christianum feceris." ·

Actus spei. II. **Actus spei.** »Mi Deus, spero per merita Jesu Christi »peccatorum meorum veniam, perseverantiam usque ad finem, »et beatam paradisi gloriam; et ideo hæc spero, quia tuis »promissis confido, qui fidelis, potens, et misericors es. — »In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. — »Jesu mi, non negabis mihi veniam, qui sanguinem et »vitam mihi non negasti. — Passio Jesu, tu es spes mea. »Merita Jesu, vos estis spes mea. Vulnera Jesu, vos estis »spes mea. Mors Jesu, tu es spes mea. — Sancta Maria, »Mater Dei, ora pro me peccatore, nunc et in horâ mor»tis meæ. — Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei »Genitrix. — Maria, mater gratiæ, mater misericordiæ, tu »me ab hoste protege, et horâ mortis suscipe. — Cor Ma»riæ, esto refugium meum. — Jesu, Maria, Joseph, vobis »dono cor, spiritum, et vitam meam. Jesu, Maria, Joseph, »assistite mihi in extremo agone. Jesu, Maria, Joseph, »moriar vobiscum in pace! — Jesu mi, misericordia!"

Actus contritionis. III. **Actus contritionis.** »Mi Deus, toto corde doleo de om»nibus peccatis meis eaque mihi displicent, quia offendi te, »Bonitatem infinitam. Tuâ adjutus gratiâ, quam imploro, »nunquam amplius peccare statuo. — Cor contritum et »humiliatum, Deus, non despicies. Mi Deus, utinam nun»quam te offendissem! — Offero tibi in satisfactionem of»fensarum, quas tibi irrogavi, mortem meam, et dolores, quos »usque ad mortem perferam. — O Maria, impetra mihi dolo»rem peccatorum meorum, remissionem, et perseverantiam.

IV. **Actus amoris.** »Mi Deus, quia infinita Bonitas es, *Actus amoris.*
»et infinito dignus amore, amo te ex toto corde meo su-
»per omnia. — Mi Deus, non sum dignus te amare, quia
»nimis te offendi, sed propter amorem Jesu fac me di-
»gnum. — Jesu dulcissime, volo pati et mori pro te, qui
»propter me pati et mori dignatus es. — Opto paradisum,
»ut in æternum et ex totis viribus meis te diligam. —
»Dulce Cor Jesu, fac ut te semper magis magisque dili-
»gam. — Jesu dulcissime, ne permittas me separari a te. —
»Amorem tui solum cum gratiâ tuâ mihi dones, et dives
»sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. — O Maria,
»trahe me totum ad Deum. — Mater mea, multum te di-
»ligo; volo venire in cœlum ad te amandum in æternum."

V. **Actus conformitatis.** Omne nostrum bonum in eo *Actus conformitatis.*
consistit, quod conformemur Dei voluntati; Deus enim
vult quæ nobis sunt meliori bono. — »Eja, N., si Deus te
»vocat ad alteram vitam, contentus es, nonne? Dic igitur
»semper: »Domine, fac de me quod tibi placet. Fiat vo-
»luntas tua semper. Volo tantum quod tu vis. Volo pati,
»volo mori, prout vis. — In manus tuas commendo animam
»et corpus meum, vitam et mortem. — Benedicam Domi-
»num in omni tempore. Mi Deus, sive me consoleris sive
»me affligas, diligo te, et semper te diligere volo. — Pater
»æterne, conjungo mortem meam cum morte Jesu, et sic
»eam tibi offero. — Moriar amore tuî, qui amore meî di-
»gnatus es mori."

VI. **Actus desiderii paradisi.** Expedit ut Sacerdos sæpius *Actus desiderii paradisi.*
alloquatur moribundos de cœlestis patriæ bonis et gaudiis,
in mentem eis revocans quod Apostolus ait: »Nec oculus
»vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ
»præparavit Deus diligentibus se." (1) — »Quandonam,
»mi Deus, tuam infinitam pulchritudinem videbo, et facie
»ad faciem te diligam? — In cœlo semper te amabo, tu
»semper me amabis; in æternum igitur nos invicem ama-
»bimus, Deus mi, amor meus, et omnia. — Eja ergo, Ad-

(1) I Cor. II. 9.

»vocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos con»verte, et Jesum benedictum fructrum ventris tui nobis »post hoc exilium ostende." (*n.* 254-263. 286.)

§ IV. Assistentia moribundorum. (1)

Est opus præcellens.

196. — Non est opus charitatis magis Deo acceptum, magisque ad animarum salutem conducens, quam opus adjuvandi moribundos ad sancte moriendum; nam tempore mortis, a quâ uniuscujusque salus æterna pendet, inferni assultus vehementiores sunt, vires autem infirmorum debiliores ad resistendum. Idcirco sequentia monita tradimus Sacerdoti assistenti, ut aditum ad cœlum moribundo expeditiorem reddat.

Confessio moribundi.

197. — 1° In excipiendis moribundorum confessionibus Confessarius non debet tam exacte procedere circa numerum et circumstantias; imo, cum periculum mortis instat, aut

(1) De assistentiâ moribundorum Rituale Rom. *tit.* 5. *cap.* 2. *n.* 15, hæc præscribit Parochis: »Admoneat domesticos et ministros infirmi, »ut, si morbus ingravescat vel infirmus incipiat agonizare, statim ipsum »Parochum accersant, ut morientem adjuvet, ejusque animam Deo »commendet; sed, si mors immineat, priusquam discedat Sacerdos »animam Deo rite commendabit." Deinde *cap.* 5. *n.* 1.: »Ingravescente »morbo, Parochus infirmum frequentius visitabit, et ad salutem dili»genter juvare non desinet: monebitque instante periculo se confestim »vocari, ut in tempore præsto sit morienti" Illisce perpensis, dubitari non potest quin Parochi aliique curam animarum gerentes teneantur, non ex charitate tantum, verum etiam ex officio animas sibi creditas in eo extremo vitæ tempore, a quo pendet æternitas, adjuvare ad resistendum assultibus diaboli forte venturis et ad pie moriendum. Quæsitum fuit a S. C. C. an gravis sit hæc obligatio assistendi agonizantibus; sed S. C. C. quæsitum in medio relinquens respondit 23 Mart. 1878. »Super adsistentia infirmorum standum præscriptionibus Ritualis »Romani; in reliquis consulat probatos auctores." Interim graves Auctores distinguunt, et dicunt obligationem istam dimetiendam esse ab indigentiâ moribundorum; unde inferunt facile gravem esse obligationem erga moribundos, qui vitiose vixerunt, imo, si moribundus esset impœnitens, Parochum teneri omni modo, dum superest halitus, illius salutem procurare; contra, si moribundus christiane vixerit et bene dispositus videatur, assistentiam Parochi esse quidem bonam, sed non necessariam. Si Parochus legitime impeditus est, curet ut hoc officium alii Sacerdoti demandet. Moneat quoque eos, qui infirmi curam habent, ut pias cogitationes quandoque ipsi suggerant. Confer *Revue théol.* 1878. *pag.* 482.

forsan Viaticum allatum est, et longa esset Confessio, tunc infirmus non tenetur omnia et singula peccata confiteri: eo in casu melius est ad dispositionem pœnitentis quam ad confessionis integritatem attendere, ut jam supra animadvertimus. Moribundis quoque nonnisi levissima satisfactio injungenda est, e. g. invocatio SS. Nominum, osculatio Crucifixi. Deinceps, dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut saltem gratiæ augmentum recipiat, necnon purgatorii pœnæ ei minuantur. Quodsi contingeret ut æger eo tempore in lethale incidat peccatum, Sacerdos ne exterreat ipsum, sed fiduciam ei insinuet, procuret ut actum doloris eliciat, eumque statim absolvat; deinde moneat ipsum ut, si rursus tentetur, Jesu ac Mariæ nomina invocet. Si ægrotus jam usum sensuum amisit, et nullum doloris nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit sæpius intra eumdem diem absolutionem ei impertiri; quia tunc absolutio danda esset sub conditione, quod sine gravi causâ non est faciendum; unde oportet ut inter unam absolutionem et aliam aliquod notabile intervallum intercedat. In hoc negotio Sacerdos se accommodare debet conscientiæ infirmi; e. g. si hic habituatus fuit in pravis cogitationibus, vel impuro amore flagravit, si infirmitas est admodum dolorosa et ægrotus parum placatus, tunc absolutio sæpius dari potest; secus sufficit singulis tribus quatuorve horis eam dare; frequentius tamen, si moribundus jamjam moriturus est. Non abs re erit ægrotum, dum mente pollet, monere ut, quando loqui non poterit et absolutionem cupiet, aut cum Sacerdos eam ipsi conferre velit, det signum aliquod determinatum, e. g. nutum capitis, manûs elevationem, aut quid simile. (*n.* 105. 264. 276. *sub* 11.)

198. — 2° Curandum est ut infirmus totus sit in negotio animæ suæ, nec sermones profanos admittat; arceantur nimis crebræ visitationes, et complorationes parentum, conjugis, liberorum, quos moriens tenerius dilexit; maxime vero arceatur præsentia alicujus personæ, ex cujus aspectu posset tentatio ad peccatum reviviscere; imo hujusmodi *Alienatio a mundo.*

persona non solum a cubiculo, sed a domo pellenda est. Cum infirmus agoni proximus esse videtur, Sacerdos omnes ab ejus cubiculo depellat, præter unum alterumve, qui ægroto præsto sit; prohibeatque in ægroti cubile propinquos ingredi, qui possent aliquam passionem suscitare. (*n.* 236.)

Variæ suppetiæ.

199. — 3° Cum infirmus ad agonem pervenit, solitis Ecclesiæ armis, ad eum juvandum quantum potest, Sacerdos utatur. Hinc *a*) sæpius infirmum aquâ benedictâ aspergat, præsertim si diabolicis tentationibus vexetur, dicendo: »Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus." *b*) Crucis signo eum muniat, eique benedicat dicens: »Benedicat tibi »Deus Pater, qui te creavit, benedicat tibi Filius, qui te »redemit, benedicat tibi Spiritus Sanctus, qui te sanctifi»cavit." *c*) Crucifixum necnon aliquam Mariæ imaginem sæpe osculandam præbeat. *d*) Curet ut infirmus omnes quas potest indulgentias lucretur, et præsertim accipiat indulgentiam plenariam, quæ Benedictio Apostolica in articulo mortis vocatur. *e*) Identidem suggerat aliquem affectum doloris, conformitatis, oblationis dolorum suorum, fiduciæ in passione Jesu Christi et intercessione Mariæ, desiderii videndi Deum; sed non omittat Sacerdos pausas facere, ut infirmus et ruminandi tempus habeat et quiescendi. *f*) Studeat ut æger sæpissime SS. Jesu et Mariæ nomina, corde saltem si loqui non potest, invocet, ac multoties dicat orationem: »Maria, Mater gratiæ," etc. Cæterum animadvertendum est, actus frequentius moribundis suggerendos, actus esse amoris et doloris; atvero, cum infirmus est sensibus destitutus, magis illi prosunt orationes quam verba.

Commendatio animæ.

200. — 4° Cum tempus exspirandi instat, accendatur candela benedicta, tradatur morienti ut eam per aliquod saltem tempus teneat, ad significandum se mori in sanctâ fide. Mox Sacerdos genua flectat, et quantâ poterit majori devotione ac flebili voce recitet commendationem animæ, prout in Rituali aut in fine Breviarii habetur, admonebitque domesticos et circumstantes ut simul orent pro moriente recitando v. g. pluries Litanias B. Mariæ Virginis.

Præterea Sacerdos aliusve assistens suggerat morienti, et pro eo clarâ voce pronuntiet, sæpiusque ad illius aures repetat: »Jesu, Jesu, Jesu. — In manus tuas, Domine, »commendo spiritum meum. — Domine Jesu Christe, suscipe »spiritum meum. — Sancta Maria, ora pro me. — Maria, »mater gratiæ, etc. — Jesu mi, amor meus, te amo, pœ»nitet me offendisse te. Utinam nunquam te offendissem. — »Maria, mater mea, adjuva me in hâc horâ. — S. Joseph, »succurre mihi. S. Michaël Archangele, defende me. Angele »custos meî, assiste mihi. S. N. (hic nominatur præcipuus »patronus ægroti) commenda me Jesu Christo. — Omnes »Sancti in cœlo, Deum pro me orate."

Agenda post obitum.

201. — Caveat Sacerdos ne præpropere dicat mortuum esse, sed exspectet tantisper donec de morte constet. Persuasus de obitu circumstantes hortetur ut pro defuncto orent, et ipse genuflexus dicat preces: *Subvenite*, etc., ut in Rituali vel in Breviario notatur. His peractis, mortuum aquâ benedictâ aspergat; deinde conjunctos soletur, omnesque circumstantes moneat ut cogitent plus defuncto profuturas preces quam lacrymas; in memoriam ipsis revocet vitæ brevitatem, mundi vanitatem, felicitatem bene morientium, eosque hâc occasione excitet ad vitam christianam. (*n.* 276-279.)

§ V. Imminentis et oppetitæ mortis signa.

Signa mortis imminentis.

202. — Conducit ut Sacerdos assistens mortis imminentis signa cognoscat; hoc pacto melius poterit infirmum, quando in ultimis est, adjuvare. Præcipua et universaliora sunt tria: 1° Respiratio anxia, difficilis. 2° Pulsus deficiens aut formicans aut intermittens. 3° Oculi concavi et quasi vitrei, aut solito apertiores, vel nimis lucidi; palpebræ demissæ, non tamen clausæ. — Sunt etiam propinquæ mortis signa nasus acutus, et in extremitate albescens, sufflatus narium instar follis, tempora collabentia, aures porrectæ, facies flavescens aut livescens, halitus male olens et frigidus, corpus immobile et membra inertia, sudor frigidus in facie,

calor in cordis regione nimius, collectio festucarum aut lanuginum, frigiditas omnium extremarum partium. Signa proximæ exspirationis sunt respiratio intermittens, aut languida, defectio pulsûs, dentium contractio aut stridor, mucus e gulâ prodiens, leve quoddam suspirium aut lamentum, spontanea lacrymatio, rotatio et distorsio oculorum.

Advertendum superest: 1° Nonnulli ægroti, e. g. laborantes hydropisi, phthisi, pleuritide, anginâ, interdum cum paucis recensitorum signorum, et cum pulsu valido, ac loquentes exspirant. 2° Laborantes febri intermittente mori solent in principio accessionis, dum convulsiones vehementes sunt. 3° In aliquibus ægrotis halitus et pulsus cordis sunt adeo debiles, ut jam mortui videantur, et tamen adhuc vivunt. 4° Ex dictis patet signa supra primo loco adducta interdum fallere, cum sine illis nonnunquam infirmus repente moriatur; ideoque, dum ægrotus in agone manet, Sacerdos non debet eum deserere.

Signa mortis oppetitæ.

203. — Signa moraliter certa mortis sunt totius corporis frigiditas, etiam in regione cordis, corporis gravitas, si speculum ori admotum afflatu non maculatur, pluma naribus et ori obversa non movetur, alicujus spiritûs naribus admoti stimulus non sentitur, et similia. Signum prorsus certum est rigor corporis, qui advenire solet 1—24 horis post mortem, et durare per 6—48 horas; qui si interdum non observetur, plerumque inde provenit, quia propter brevitatem temporis observationem effugit. Postquam rigor desiit, putredo incipit, quæ odore cadaverino manifestatur. (*n.* 280-283. Capellmann. *Medicina past. pag.* 170. *seqq.*)

CAPUT VI.

MODUS SE GERENDI ERGA PERSONAS, QUÆ DEVOTIONEM PROFITENTUR.

Fovendi sunt tales pœnitentes.

204. — Confessarius curas suas non in id solum conferre debet ut peccatores in gratiam Dei redeant et justi in eâdem perseverent, verum etiam operam dare debet ut

justi, quos pœnitentes ordinarios habet, in virtute et sanctitate proficiant, quemadmodum divinus Redemptor noster de seipso testatus est: »Veni ut vitam habeant, et abun»dantius habeant." (1) Ubicumque exsistit cœtus fidelium, tam in civitatibus perditissimis quam in minimis pagis, Deus habet animas electas, quæ fideliter ipsi serviunt et ex corde eum diligunt. Procuret igitur Confessarius ut hujusmodi pœnitentes in sancto proposito et virtutum exercitio diligentes sint. Quum autem non omnes, qui devotionem profitentur, vere devoti sint, sed dentur etiam qui specie tantum tales sunt, de utroque genere tractandum erit.

Articulus I.

ERGA PERSONAS VERE DEVOTAS.

205. — 1° Non contendat Confessarius omnes personas devotas in sæculo ad perfectionem dirigere; multi enim sunt devoti, qui sortiti sunt animam bonam, declinant a malo, et faciunt bona opera ordinaria, sed altioris perfectionis capaces non sunt. Confessarius, qui tentaret eos ad perfectionem evehere, oleum et operam perderet, et, quod personas alterius sexûs attinet, periculum sibi facere posset. Contentus ergo sit ut ejusmodi personæ abstineant a peccato, gravi præcipue, opera virtutis ordinaria exerceant, orationem et Sacramenta frequentent, prout cum statu eorum congruit. Imprimis efficere conetur ut bene intelligant in quo vera devotio consistat; devotio nempe hominem sollicitum promptumque facit ad bona ac sancta opera frequentanda, eo animo ut Deo acceptum se reddat. Devotus igitur præcepta Dei et Ecclesiæ, quæ cuivis christiano communia sunt, cum omni sollicitudine observat; particulares etiam statûs vocationisque suæ obligationes accurate ac prompte implet; certum quotidie tempus, prout con-

Regula generalis.

(1) Joan. X. 10.

ditio fert, pietatis exercitiis tribuit, puta orationi, Missæ audiendæ, Rosario recitando, Viæ Crucis obeundæ, conscientiæ excutiendæ, lectioni spirituali, etc.; tempus statuit, quo S. Communionem, Confessione præmissâ, suscipiat, idque de Confessarii consilio facit; proximo per opera charitatis juxta conditionem suam inservit; denique crucem suam quotidie tollit. Atque in hisce hilarem datorem, quem diligit Deus, semper se exhibet.

Frequentia Confessionis.

206. — 2° Quod *Sacramentorum frequentationem* attinet, regulariter non debet Confessarius personas devotas pluries admittere ad Confessionem, quam semel in hebdomadâ: nam ex praxi contrariâ, teste experientiâ, facile incommoda enascuntur, e. g. scrupulositas, nimia adhæsio Confessario. Ob legitimam aliquam causam interdum exceptio fieri potest. Satagat quoque, si pœnitentes nonnisi venialia peccata confitentur, ut cognoscat illos vere dolere et proponere emendationem, saltem de aliquo ex illis, vel ut adjungant aliquod peccatum gravius vitæ anteactæ, ut habeatur materia certa Sacramenti; non raro enim metuendum est ne sufficiens dolor ac propositum circa venialia desint, circa ea maxime quæ ex habitu committuntur. Quot Confessiones invalidæ (quæ in se vera sunt sacrilegia), subdit S. Alphonsus, fiunt ob Confessariorum hâc in re negligentiam! (*n.* 71—99. et 188.)

Frequentia Communionis.

Suadere ipsis potest ut ad S. Communionem accedant singulis quindenis aut singulis hebdomadis, aut etiam bis terve in hebdomadâ, juxta regulas traditas in Opere lib. VI. n. 94.

Monita circa Confessionem.

207. — 3° Plura insuper notanda sunt de Confessione. *a*) Caveat Confessarius ne pœnitentibus suis devotis, fœminis præsertim, prohibeat alium adire Confessarium; sed, si adierint, ostendat id sibi gratum esse; imo injungat illis ut identidem alium adeant, præterquam si quis pœnitens esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat ne, si ad alium accedat qui ejus conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus. Nisi Confessarius plenam libertatem concedat adeundi alium Confessarium, causa esse potest

multorum sacrilegiorum. *b*) Non ostendat se cupidum ad alicujus animæ directionem in se suscipiendam. *c*) Nunquam male loquatur de aliis Confessariis, sed provide studeat eos de aliquo errore commisso excusare. *d*) Non suscipiat directionem alicujus, qui vult directorem suum relinquere, nisi adsit urgens causa; inde siquidem sæpe dissipationes, perturbationes, et quandoque etiam scandala oriuntur. Porro, ad mutandum Confessarium, satis non est quod pœnitens aliquantum aversetur ipsum, vel non amplius in se reperiat fidem dictis ejus; nam sæpe est dæmonis tentatio. Nihilominus neque expedit hâc in re immutabilem esse, si legitima causa mutationis superveniat, cujusmodi esse potest defectus virtutis, aut etiam defectus doctrinæ, dummodo de eo satis constet. De cætero liberum est pœnitenti, imo subinde expedit, de dubiis alios doctos directores consulere. *e*) Caveat insuper ne uni pœnitenti præ aliis propensum se ostendat. Nonnulli adhærent alicui animæ, cum illâ et tempus omne et curam insumunt. Nulli dubium est quin aliqua anima quandoque majori indigeat assistentiâ, quam alia; sed alia est assistentia, alia est adhæsio, quæ efficit ut Confessarius de aliis pœnitentibus parum sollicitus sit; quare expediet tali personæ indigentiori diem et tempus speciale assignare, ita ut alii incommodum non ferant. (*n.* 100.)

Agendi ratio in casu lapsûs.

208 — 4° Si eveniat, quod fieri potest, etsi rarius contingat, personam devotam labi in lethale peccatum, Confessarius nulla edat signa admirationis aut indignationis, sed, exemplo Christi Petrum lapsum intuentis, eam benigne excipiat, excitet ad spem, ad dolorem, ad charitatem, et ad humilitatem. Caveat ne pœnitens despondeat animum, neque inordinatæ tristitiæ se dedat.

Oratio mentalis.

209. — 5° Personis devotis, quæ frequentant Sacramenta, non omittat Confessarius insinuare usum *orationis mentalis*, seu meditationis; est enim medium aptissimum ad animas sanctificandas. Ex neglectâ consideratione veritatum æternarum mundus scatet peccatis et infernus repletur animabus: »Desolatione desolata est omnis terra,

»quia nullus est qui recogitet corde." (1) Contra vero, qui sæpe recogitat mortem, judicium, et æternitatem, præservabitur a peccatis: »Memorare novissima tua, et in æter»num non peccabis." (2) Fructus Missionum et Exercitiorum spiritualium meditationi veritatum æternarum maxime adscribendus est, adeo ut quasi miraculum foret, si peccator ea exercitia audiret et non converteretur. Et experientiâ apparet, eos, qui orationi mentali dant operam, difficulter in peccata mortalia prolabi, et, siquando labantur, continuando orationem statim resipiscere et ad Deum redire. Unde inferunt DD. orationem mentalem et peccatum simul consistere non posse; sed homo aut orationem omittet, aut a peccatis cessabit; quinetiam, si orationem non omittet, non peccata solum relinquet, sed amorem suum a creaturis avertet et ad Deum convertet. Confessarius igitur non omittat pœnitentibus suis piis commendare quotidianam meditationem veritatum fidei, e. g. novissimorum, quorum cogitatio, mortis præcipue, incipientibus utilior est; item meditationem passionis Christi, quæ omnibus prodest. Quoad tempus orationi impendendum, Confessarius pro suâ prudentiâ se dirigat; assignare potest e. g. spatium semihoræ; deinde tempus aptius meditationi est tempus matutinum. Quodsi pœnitenti non suppetat tempus liberum ad meditandum, meditetur intra Missam, vel in mediis occupationibus cogitet identidem de aliquâ veritate fidei, de aliquâ statione Viæ Crucis, mentemque elevet ad Deum. Quantum denique ad modum practicum orationis, servandum ab iis qui vacant orationi mentali, et docendum a Confessario, remitto lectorem ad Caput VII, ubi illum exponam. (*n.* 122. 123. 217—219.)

Libertas spiritus.

210. — 6° Admonendæ sunt animæ piæ ut cum libertate in suis exercitiis devotionis procedant, ita ut neque ad consolationes sensibiles, neque ad pietatis opera adeo affixæ sint, ut, si vel infirmitate vel casu improviso vel proximo indulgendi serviendique studio vel aliâ legitimâ

(1) Jerem. XII. 11. — (2) Eccli. VII. 40.

de causâ ab iis avocentur et impediantur, mox inquietudine animique morositate et impatientiâ conturbentur, sed in ejusmodi eventibus divinam voluntatem agnoscant, atque adeo continuam mentis tranquillitatem conservent, consuetamque charitatem ac suavitatem illis exhibeant, qui ab exercitiis pietatis impediverunt.

Notanda circa fœminas.

211. — 7° Reliquum est ut de agendi ratione cum *fœminis devotis* quædam specialiter subjungamus. Ne contingat ut ex piarum fœminarum directione lucrum cessans, damnum emergens, et periculum sortis Confessario proveniat, cautelas ipsum adhibere oportet, nimirum: *a*) Sit expeditus in audiendis earum Confessionibus, assuefaciat eas breviloquio in confessionali; certe enim bonum signum veræ virtutis præbet fœmina devota, cui placet Confessarius expeditus. *b*) Quo rarius fieri possit conversetur cum pœnitentibus suis extra confessionale; hoc pacto melius vitabit familiaritatem cum illis, conservabit fiduciam earum et auctoritatem in eas, atque auxilium Spiritûs Sancti in earumdem directione. Recole dicta n. 140 et 141.

Articulus II.

ERGA PERSONAS SPECIE DEVOTAS.

Signa falsæ devotionis.

212. — A vere devotis personis probe distinguendæ sunt illæ, quarum devotio vel hypocrisis est, ad imponendum aliis, vel illusio, quâ ipsæ decipiuntur. Omnis earum devotio in religionis exercitiis externis consistit; nimirum frequentant ecclesiam, multas preces recitant, sæpe confitentur, et pluries in hebdomadâ S. Communionem suscipiunt. Nihilominus veram ac solidam virtutem neque intelligunt neque curant, sed vitiis scatent; in ecclesiâ morantur diutius quam oportet, cum perturbatione parentum ac neglectu rei domesticæ; Sacramenta frequentant ut videantur ab hominibus et laudentur; quare, si Confessarius non indulget eis tam sæpe communicare quam vellent, repulsam ægre ferunt; in confessionali diu colloqui appe-

tunt cum Confessario, absque ullâ utilitate aut necessitate. Mortificationis spiritus illis omnino deest, ideo deliciis in cibo et potu inhiant, a labore abhorrent, loquaces sunt. Humilitate et obedientiâ carent; ideo directioni Confessarii se non subjiciunt, sed Confessarius earum nutibus obsequi deberet; Confessarium fallunt, dum levissimas tantum culpas confitentur, graviores autem, quales hic recensemus, non accusant; laudes et honores affectant, proprio sensui inhærent, correptionis sunt impatientes, alios aspernantur et arroganter corripiunt. Charitate erga proximum destitutæ sunt; unde domesticis suis permolestæ sunt, nullius famæ parcunt, aliis invident, facile irascuntur, etc. — Personis specie devotis adnumerandæ sunt nonnullæ matronæ et domicellæ, quæ vitam mundanam, deliciis et luxui deditam, cum pietate consociare volunt; inde frequentant tam theatra quam ecclesiam, assistunt choreis nocturnis et sacris processionibus, legunt libros romanticos et libros precum, frequentant Sacramenta et circulos mundanos consectantur.

Devotæ Confessario.

213. — Est et aliud fœminarum specie pietatis tinctarum genus, quæ captæ sunt amore Confessarii. Malum profecto, quo non ipsæ tantum in perniciem ruunt, sed etiam Confessarium, nisi eas dimittat, ruinæ participem reddunt. Persona talis nullam habet requiem; torquet eam desiderium colloquendi cum Confessario, unde, quoties facultas ipsi est, ad Confessarium redit; torquet eam sollicitudo, quâ illi placere gestit, diffidentia et metus ne ab ipso deseratur, zelotypia ne aliæ apud illum gratiâ magis polleant. Manifestum est ejusmodi personas accensendas non esse numero virginum prudentium, sed numero fatuarum; nam, etsi lampades habeant, oleum non habent, scilicet charitate non ficta in Deum et proximum prorsus carent. Idcirco Confessarius carpat eas et arguat opportune et importune, ut sese agnoscentes quales sint, ad veram et solidam pietatem transeant. Quodsi non ex voto succedat, sese illis expedire conetur, aut earum Confessiones paucis absolvat.

Hypocrisis extraordinaria.

214. — Hactenus dicta sunt eventus ordinarii; sed dantur etiam facta extraordinaria hypocrisis apud fœminas,

imo nonnunquam apud Moniales. »Brevis omnis malitia »super malitiam mulieris," inquit Ecclesiasticus XXV. 26 ; inde contigit ut fœminæ falso devotæ finxerint se infirmas, postea miraculo sanatas, atque publicas gratiarum actiones impetrarint pro valetudine sic recuperatâ ; aliæ finxerunt vexationes et verbera a dæmone ipsis illata ; aliæ ementitæ sunt visiones et revelationes, necnon extases simularunt, aliaque portenta fabricatæ sunt. Malis ejusmodi artibus fœminæ hypocritæ affectant vel attentionem, æstimationem, admirationem, commiserationem Sacerdotum ad se attrahere, vel, quod pejus est, castitati alicujus Sacerdotis insidias struere. Optimum remedium est talibus portentis fidem non habere, fœminasque talia ostentantes floccifacere.

CAPUT VII.

MODUS SE GERENDI ERGA PERSONAS, QUÆ AD PERFECTIONEM TENDUNT.

Operis præstantia.

215. — Quod Dominus dixit Jeremiæ: »Ecce constitui »te hodie super gentes... ut evellas et destruas et disperdas »et dissipes, et ædifices et plantes," (1) idipsum sibi quoque dictum esse arbitrentur omnes Confessarii, quippe qui debent non solum evellere vitia ex suis pœnitentibus, verum etiam virtutes in illis inserere. Et quamvis peccatorum reconciliatio opus sit magnopere expetendum, nihilominus opus est etiam Deo acceptissimum sponsas illi adornare, animas scilicet excolere, ut totas se illi tradant. Acceptior est Domino una anima perfecta, quam mille imperfectæ. Unde, cum videt Confessarius pœnitentem vivere immunem a culpis mortalibus et in se experiri stimulum ad vitam perfectiorem, omnem, curam adhibere debet ut eum in viam perfectionis et divini amoris introducat, proponendo illi quantopere Deus, utpote infinite amabilis, dignus sit ut ametur, et quam gratum animum debeamus Jesu Christo,

(1) Jerem. I. 10.

qui eo usque nos amavit ut mori voluerit pro nobis, necnon quanto periculo se committant animæ omnes, quæ vocatæ a Deo ad vitam perfectiorem, obsurdescunt. In tribus præcipue posita est directio Confessarii quoad animas spirituales, scilicet in oratione, sive meditationis sive contemplationis, in mortificatione, et in frequentiâ Sacramentorum. (*n.* 121.) Ut hanc materiam apte exponamus, trademus 1° breve summarium christianæ perfectionis, 2° aliquot regulas generales directionis, 3° praxim orationis, 4° praxim mortificationis, 5° frequentiam Sacramentorum, 6° observanda circa tentationes, 7° observanda circa motus boni et mali spiritûs, 8° observanda circa consolationes et desolationes.

Articulus I.

SUMMARIUM PERFECTIONIS.

§ I. Notio perfectionis.

Essentia et modus acquirendi.

216. — Perfectio christiana in virtutibus theologicis, charitate præcipue, consistit. Tota essentia ac terminus perfectionis versatur in charitate erga Deum et proximum; siquidem per hanc solam Deo ultimo fini et perfectæ beatitudini nostræ conjungimur, atque adeo per hanc solam spiritui nostro placide quiescere datur. At perfectio etiam in fide et spe quodammodo consistit; nam et istæ nos Deo proxime conjungunt, ac charitati inseparabili quodam nexu ita copulantur ut possibile non sit amare Deum, quin prius infinitam illius bonitatem ope fidei agnoscamus, et tum necessarium ad ejus amorem auxilium in hâc vitâ, tum æternam ejus possessionem in alterâ vitâ ab eo speremus. Porro, ad consequendam perfectionem, virtutes morales, cumprimis cardinales, et consilia evangelica concurrere debent, tamquam instrumenta necessaria, quibus tolluntur impedimenta charitatis et homo ultimò disponitur ad recipiendam a Deo flammam divini amoris. Primo igitur removenda sunt ab

animâ impedimenta inordinatarum adhæsionum ac rebellium affectionum ; deinde introducenda est ope virtutum magis purgatarum illa animæ mundities, quæ amori perfectiori aditum præbet. Ex hisce deduci potest perfectionem vitæ christianæ hoc modo definiri posse : Est habitus charitatis promptus et expeditus ad exercendas cum fervore et plenitudine actus charitatis erga Deum et proximum.

§ II. Gradus perfectionis.

217. — Quemadmodum homo in corpore nascitur infans, ex infante fit puer adolescens, ac tandem crescit in hominem formatum, ita quoque progressus isti, qui lente contingunt in corpore, accidunt insensibiliter in spiritu. Hinc DD. in progressu ad perfectionem tres gradus seu status distinguunt, nempe incipientium, proficientium, et perfectorum; hisce statibus et tres viæ respondent, videlicet via purgativa, illuminativa, et unitiva. Status *incipientium* illis convenit, qui in gratiâ Dei vivunt, sed malos appetitus in se adhuc vivos persentiunt, et eosdem continue oppugnare tenentur ; ideo in virtutum exercitio perexiguam experiuntur facilitatem, sed multâ cum repugnantiâ easdem exercent. Statui huic respondet via *purgativa*, utpote in eâ homo principaliter incumbit ad recedendum a peccato, et resistendum concupiscentiis suis. Status *proficientium* illis proprius est, qui ex parte jam domuerunt passiones suas inordinatas, ac propterea facile abstinent ab omni culpâ lethali, viriliterque sese exercent in virtutibus, etsi a peccatis levibus non tam facile abstineant. Statui huic respondet via *illuminativa*, in quâ homo uberiori ditatus lumine principaliter intendit ad proficiendum in solidâ virtute. Status *perfectorum* attribuitur iis, qui, victis jam passionibus, facile abstinent ab omni peccato tam levi quam gravi, et actus virtutum, charitatis præcipue, cum facilitate et alacritate exercent. Huic statui respondet via *unitiva*, in quâ homo internâ pace perfruens principaliter intendit ut Deo per sanctum amorem inhæreat et eo

Incipientes et via purgativa.

Proficientes et via illuminativa.

Perfecti et via unitiva.

fruatur. Probe autem notandum est vias istas distingui secundum opus, quod in homine spirituali prævalet; nam in quâlibet viâ exercitia omnium viarum plus minusve conjunctim peragenda sunt; dum homo exstirpat appetitus male ordinatos, simul introducit virtutes, ac simul sese exercet in actibus charitatis.

§ III. Media perfectionis.

Eorum necessitas.

218. — Ad spirituale ædificium christianæ perfectionis exstruendum, homini multa sunt necessaria; indiget nempe multis mediis, quorum auxilio ad perfectionem sibi eluctandum est, tam ad removenda impedimenta quam ad acquirendas virtutes. Singula summatim complectemur. Media perfectionis communia sunt omni animæ, in quocumque tandem statu consistat; removere autem per continuam mortificationem charitatis impedimenta peculiariter ad incipientes spectat; per virtutum moralium exercitium se disponere ad augmentum divini amoris, ad proficientes imprimis pertinet, quemadmodum ad perfectos divini amoris actus cum facilitate et fervore elicere.

Enumeratio.

Porro *media* perfectionis sunt: 1° Ejusdem acquirendæ desiderium; quod debet esse efficax, constans, semperque ad majorem perfectionem sese extendere. 2° Boni ducis electio; cui persona spiritualis interiora sua candide et sincere aperiat, ac sapientia ejusdem consilia obedientissime exsequatur. Director debet esse vir contestatæ virtutis, doctus et expertus in vitâ spirituali. 3° Lectio librorum spiritualium, non sciendi, sed sapiendi cupiditate. 4° Oratio, scilicet veritatum fidei meditatio, et preces tam internæ quam externæ. 5° Frequens recordatio præsentiæ Dei. 6° Examen quotidianum conscientiæ, tam particulare quam generale. 7° Frequentatio Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ. 8° Pietas in Sanctos, in B. Virginem Mariam præcipue.

§ IV. Impedimenta perfectionis.

219. — Ut quis ad perfectionem feliciter eluctetur, præ- *Notio.*
dictorum subsidiorum ope cumprimis oportet *impedimenta* expugnare, quæ mundus, caro et dæmon perfectionis candidato opponunt. Hujusmodi impedimenta alia intra nos, alia extra nos versantur. Priora partim oriuntur a sensibus externis, partim a sensibus internis inordinatis, scilicet a passionibus et indole. Posteriora alia blandiendo obsunt, ut divitiæ, honores et dignitates, ac personæ inordinate dilectæ: alia impugnando retardant, puta dæmones.

Igitur impedimenta perfectionis proveniunt 1° a *sen-* *Origo et oppugnatio. Sensus.*
suum externorum incustodiâ. Contra tactûs licentiam remedia sunt circumspectio in ejus usu, et opera pœnitentiæ. Ad linguam pertinent gustus et loquela: gustus refrænandus est ope jejunii, abstinentiæ et temperantiæ in usu cibi et potûs; loquela, ope vigilantiæ et silentii; vigilantia postulat ut verba priusquam proferantur, ponderentur, et silentium in eo est, ut cum moderatione loquamur, dum loqui convenit, et taceamus, dum tacere decet. Visus coërcendus est custodiâ et modestiâ oculorum, præsertim circa personas alterius sexûs. Auditus avertendus est ab omni sermone malo contra pudorem, contra proximum, contra Superiores. Odoratus pascendus non est odoramentis; imo fœtores lubenti animo perferendi sunt, imprimis cum charitas erga infirmos id exposcit.

2° Ab *inordinatis et non mortificatis passionibus.* Præ- *Passiones.*
cipuæ hujusmodi passiones eæ sunt, quas vitia capitalia vocare solemus, puta superbia, ira, avaritia, luxuria, gula, invidia, acedia, quæ omnes ex inordinato amore originem suam trahunt. Quisquis ad perfectionem tendere velit, contra perversas naturæ nostræ passiones accinctus esse debet, ad illas viriliter et continue reprimendas ac mortificandas; siquidem a majori vel minori appetituum nostrorum mortificatione major etiam vel minor in spiritu profectus pendet, secundum aureum effatum Thomæ a

Kempis: »Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim inteleris." (1)

Ad debitam autem passionum moderationem facilius obtinendam, homo hasce regulas observet: *a*) Solerter investiganda est passio, quam quis præ reliquis sibi dominantem experitur, quâque frequentius in defectus labitur; quâ cognitâ, huic quoque præ ceteris bellum implacabile inferre oportet. *b*) Necesse est passionum motus in primo earum ortu statim reprimere; nam, si crescere sinantur, tantum vigoris acquirent ut superari tandem vix possint. *c*) Non tantum passiones notabiles, verum etiam parvæ passiunculæ mortificandæ sunt; imo ii quoque appetitus, qui in res licitas, at non necessarias, tendunt, coërcendi sunt; secus notabilem perfectionis gradum anima nunquam attinget. Notandum superest, passiones equidem mortificari ac debilitari, nunquam vero omnino exstingui posse; homo quamdiu vivit, sensuum ac passionum rebellionem aliquam tolerare debet.

Indoles. 3° Ab *indole mendosâ;* sicut enim bona natura magnum adjumentum affert acquisitioni virtutum, sic mendosa non leve opponit obstaculum; bonam indolem virtute supernaturali perficere, et cavere ne vitiis degeneret, facilius est quam mendosam emendare ac reformare. Hoc ultimum autem prorsus necessarium est, et cum auxilio divinæ gratiæ admodum possibile; quinimo, qui constanti luctamine indolem mendosam reformat, solidiorem virtutem plerumque acquiret quam qui bonam sortitus naturam intentatâ fruitur virtute. Caveat porro director ne velit cujusquam indolem mutare; id namque non est possibile, uti nervose expressit Horatius: »Naturam expellas furcâ, tamen usque »recurret." Propterea indoles non mutari, sed corrigi debet.

Divitiæ. 4° A *bonorum et divitiarum amore.* Etenim divitiarum cupiditas multum laboris ac sollicitudinis progenerat, ut congregentur; multum timoris, ne acquisita perdantur; et multum doloris, dum amittuntur. Contra hoc perfectionis

(1) Imit. Christi. lib. I. cap. 25. n. 11.

impedimentum remedium nobis suppeditat paupertas spiritûs, id est omnigena affectûs avulsio a rebus pecuniisque, atque inde indifferentia, sive habeantur, sive non habeantur, sive earum possessio retineatur sive repudietur. Hac cordis avulsione sæculares, si velint, in medio divitiarum perfectionem Religiosorum æquare, imo et superare possunt; et sine illâ paupertas externa Religiosorum nihil juvat. Ad hanc spiritûs paupertatem adipiscendam, omnis homo pius facultatibus suis vel ex toto vel ex parte sese exspoliet oportet, secundum normam christianæ perfectionis regulis præscriptam. Hunc in finem Religiosi per votum paupertatis sese omni proprietatis jure et bonorum terrenorum dominio in perpetuum exuerunt; homines autem sæculares debent saltem quadam facultatum suarum parte seipsos exspoliare, ita ut, necessariis pro propriâ et suorum conditione retentis, reliqua liberali manu pauperibus distribuant et religionis pietatisque operibus impendant.

5° Ab *inordinato honoris et vanæ gloriæ appetitu.* Indebiti honoris ambitio et vana gloria passiones sunt, quibus homo jam non Deo honorem et gloriam quærit, sed sibi cupit; quæ propterea bona opera ejus sancto illo fine privant, qui confert illis vitam supernaturalem, omne meritum in hâc vitâ et præmium in alterâ. Porro vana gloria hostis est quasi inexpugnabilis, cum non solum in omnia opera sancta se insinuare, sed et quo sanctiora sunt, tanto magis irrepere nitatur, et ex ipsis iis virtutum et humilitatis actibus, qui ad eam superandam exercentur, multoties enasci soleat; propterea eximios servos Dei præ reliquis torquet, et sancti viri hoc vitium magis quam quodvis aliud extimuerunt. Hinc infertur quantâ vigilantiâ hominem pium sibiipsi invigilare oporteat, ne superetur a blandâ hâc passione. Remedia contra istas passiones sunt: *a*) Earum exstirpationem perseveranter et ferventer a Deo expostulare. *b)* Vivaciter animo suo imprimere et persuasissimum sibi habere, omnia, quæ vel in ordine naturæ vel in ordine gratiæ possidet, mera Dei dona esse; a seipso autem sese nonnisi nihilum et peccatum habere; quò spectat

Vana gloria.

Apostoli effatum: »Quid habes, quod non accepisti? Si »autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis" (1) et illud aliud: »Non sufficientes sumus cogitare aliquid a »nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo »est." (2) *c*) Omnes suas actiones ad solam Dei gloriam, ad solum Dei beneplacitum frequenter referre. *d*) Proprias prærogativas et insolita laudabilia opera occultare; item, de seipso non loqui, neque in laudem, neque in vituperium.

Propinqui et amici.

6° Ab *inordinata propinquorum et amicorum amore*, qui cor hominis dividit. Etenim *a*) Propinqui et illiciis sanguinis, et mutuâ affectione cordis, et familiari conversandi consuetudine a puro amore Dei nos abstrahendi vim habent. Quisquis ergo spiritualem profectum suum cordi habet, carnalem erga propinquos suos affectionem mortificare debet. Idcirco necesse est aut propinquos suos omnino derelinquere, quemadmodum juxta Christi consilium Religiosi faciunt, et, postquam relicti fuerint, non amplius eos revisere, aut nonnisi rarò et ex legitimâ causâ; non frequens litterarum commercium cum eis habere, eorumque negotiis se non immiscere; aut necesse est efficere ut cum propinquis convivens naturæ affectus refrænet, et amorem carnis amori Dei subjectum teneat. *b*) Amicitia in tenero et sensibili amore fundata, qui ex solis corporis indolisque dotibus originem ducit, charitatem erga Deum magnopere tepefacit, imo, si multum effervescat, summopere frigefacit; præterea, ultra ingens illud damnum, non minus etiam periculum adducit, quandoquidem amor iste, qui in principio absque vitio erat, pedetentim degenerare, et ex sensibili sensualis ac impurus fieri solet. Nec periculo huic diversi solummodo, sed ejusdem etiam sexûs personæ sunt expositæ, juvenes nempe cum juvenibus, et puellæ cum puellis id incurrunt. Hinc necesse est ejusmodi amicitias sedulo præcavere, et jam contractas viriliter abrumpere.

---

(1) I Cor. IV. 7. — (2) II Cor. III. 5.

7° A *dæmonum impugnationibus.* Dum alia impedimenta per terreni cujusdam boni illecebras obicem perfectioni nostræ ponunt, dæmones tentationibus et fallaciis suis nonnisi perditionem nostram intendunt. Quapropter eos præ cæteris pertimescere et ab eorum fraudibus potissimum nos defendere oportet. Quum hanc materiam n. 168 et seqq. jam pertractaverim, lectorem eò remitto. *Dæmones.*

8° A *scrupulositate;* hæc quippe impedimentum opponit præcipuis mediis, quibus christianam perfectionem consequi debemus; obstat enim bonæ directioni, orationi, Sacramentorum frequentationi, vigori necessario, etc. Idcirco in scrupulosis progressum in virtutibus videre non solemus. *Scrupuli.*

§ V. Virtutes morales.

220. — Postquam homo spiritualis virtutum purgantium exercitio sensus et depravatas appetitiones valde jam subjugavit, ac earum rebellionem debilitavit, gradum facit ad virtutes morales animi purgati, quæ actus suos cum magnâ placiditate, absque magnâ contrariorum resistentiâ, producunt. Virtutes istæ sunt dispositiones proximæ, quas perfecta erga Deum et proximum charitas, in quâ tota perfectionis nostræ essentia continetur, subsequitur.

Inter virtutes morales primum locum occupant virtutes *cardinales*, quibus cæteræ omnes sunt adnexæ, et quæ in omni virtute reperiri debent. Omnis enim virtus debet esse *prudens* in operando, ut omnes actiones ad recti normam rite sint positæ; *justa*, ut præstet quod debet Deo, proximo, et sibiipsi; *fortis*, ut fortiter in bono persistat, neque ob ullas difficultates a recto dimoveatur; *temperans*, ut modum a rectâ ratione præscriptum non excedat, speciatim in rerum delectabilium usu. Ex quo conficitur, virtutes cardinales omnium virtutum moralium moderatrices esse. *Cardinales.*

Progrediendo ad alias virtutes morales, eas solummodo concise perstringemus, quæ tamquam illustriores eminent, *Adnexæ.*

Religio. aliasque post se trahunt. Hujusmodi sunt: 1° *Religio ;* hæc virtus inclinat hominem ad honorandum Deum ac Sanctos ejus cultu tam interno quam externo, ad venerandas omnes personas Dei servitio consecratas, ad reverendas res sacras, puta Sacramenta, imprimis SS. Eucharistiæ Sacramentum, ritus et cæremonias Ecclesiæ, et omnia demum, quæ ad obsequium, laudem et honorem Deo exhibendum a nobis peraguntur.

Devotio. 2° *Devotio ;* hæc non est peculiaris virtutis species, sed ad virtutem religionis pertinet, cui tantummodo superaddit alacritatem in exsequendis actibus, qui ad Dei famulatum pertinent. In hâc voluntatis promptitudine devotio consistit; consolatio spiritualis, quæ subinde in partem hominis inferiorem derivatur, est quoddam ejus accidens. Ad perfectionis adeptionem devotio prorsus est necessaria; sensibiles autem affectiones necessariæ nequaquam sunt, sed ad progressum in virtute multum conducunt, ac ideo, cum Deus illas elargitur, grato animo sunt recipiendæ, cum plenâ tamen cordis avulsione, profundâ humilitate, et recto fine, ut quis nempe ad operandum excitetur. Quodsi Deus sensibilem consolationem subtrahit, animamque aridam relinquit, debemus cum pace et quiete ad divinam voluntatem nos conformare, ac credentes nos indignos esse idque a Deo in majus bonum nostrum disponi, in eo confidere, interim nihil remittendo a voluntatis alacritate in exercitio virtutum. — Animadvertat porro lector, quædam esse quæ devotionem impediunt; sunt nimirum *a)* adhæsio ad consolationes et oblectationes terrenas, peccato licet ex se non obnoxias; spiritus enim et caro sibi invicem adversantur; *b)* peccata venialia deliberata; charitatem enim tepefaciunt; *c)* nimia occupationum copia, quæ mentem distrahit, cor dissipat, hâcque ratione a Deo avocat. Nihilominus exacte adimplenda sunt omnia officia proprio statui convenientia, omnesque labores, quos aut charitas exigit aut obedientia injungit; sed tunc homo operari curet Deo complacendi animo, et inter occupationes sese identidem cum Deo recolligere; qui hæc observat, devotione non destituetur.

3° *Obedientia;* hæc virtus reddit promptam hominis voluntatem ad exsequendam voluntatem Superioris. Unde patet eam virtutem cuivis christiano propriam esse erga omnes illos, qui legitime ei præsunt. Per obedientiam homo donum omnium maximum et obsequium præstantissimum Deo offert, propriam nempe voluntatem; (1) ipsa deinde omnem virtutem secum adducit et conservat; omnes etiam eas actiones, quæ ex se virtutes non sunt, sed indifferentes, in virtutem convertit; et contra, omnes virtutes, deficiente obedientiâ, pereunt; efficacius ad superandas dæmonum tentationes non datur remedium, quam eas candide directori spirituali aperire, et consiliis illius morem gerere. — Motiva obediendi sunt, quod Superior Dei locum obtinet; opera ex obedientiâ præstita certe sunt divinæ voluntati conformia; demum, qui obedit, Jesu Christi exemplum imitatur. — Denique tres sunt gradus perfectionis in hâc virtute, videlicet obedire cum promptitudine, cum simplicitate, et cum lætitiâ. *Obedientia.*

4° *Patientia;* hæc virtus tristitiam ex malis præsentibus oriundam ita moderatur, ut ea cum tranquillitate ac pace toleremus. Tribulatio peccatores ducit ad pœnitentiam, justis præbet materiam meritorum, affectum a mundo vanisque ejus oblectationibus avellit, ac fornax est, in qua animæ piæ a defectibus suis purgantur, et in perfectione expoliuntur. *Patientia.*

5° *Castitas;* virtus ista concupiscentiam refrænat, ne venenatam gustet dulcedinem. Illa præ omni aliâ virtute nos sanctos et Angelis similes reddit; ita passim docet S. Paulus, et ratio est, quia omnis sanctitas in unione cum Deo consistit; sed castitas præ reliquis mentem illuminat ac ad rerum divinarum intelligentiam elevat, dum impudicitia præ cæteris mentem obfuscat ac ad rerum divinarum contemplationem reddit inhabilem. — Inter media servandi castitatem primum ac præcipuum est, a familiari cum personis alterius sexûs conversatione sibi cavere; quæ *Castitas.*

(1) S. Thom. 2. 2. qu. 104. a. 3. et qu. 186. a. 5. ad. 5.

quidem cautela præ cæteris convenit personis voto castitatis Deo consecratis, imprimis Sacerdotibus, qui in sacro ministerio tot periculis sunt expositi. Huic medio adjungi debent oratio, castigatio corporis, et custodia sensuum.

Mansuetudo. 6° *Mansuetudo;* hæc refrænat iram per injurias provocatam, et vindictam, quam ira semper spirat, impedit. Mansuetudo est dispositio necessaria ad spiritum orationis ac familiaritatem cum Deo; frangit iram et odium nobis adversantium. — Media acquirendi illam virtutem sunt: offensas tolerandas prævidere, seque præparare ad illas placide accipiendas, proponendo sibi exemplum Redemptoris nostri; deinde in memoriam revocare peccatorum multitudinem, quibus ipse divinam bonitatem offendit, et supplicia meruit, ut sic sese injuriis dignum judicet.

Humilitas. 7° *Humilitas;* hæc virtus virtutum omnium prima, ac spiritualis ædificii fundamentum appellatur; quia gratia Dei necessaria est ut virtutes in nobis exoriantur, et ut crescant ac in vigore suo conserventur; sed juxta S. Jacobum IV. 6: »Deus superbis resistit, humilibus autem dat »gratiam;" ergo nulla virtus sine humilitate. Porro humilitas est virtus, quâ homo verissimâ sui cognitione sibi vilescit, inquit S. Bernardus. Hinc duplex est, altera cognitionis, altera affectionis; priore cognoscimus nihilum nostrum, peccata, fragilitatem, infinitasque miserias nostras; posteriori contemnimus nosmetipsos et calcamus omnem vanam gloriam. — Media acquirendi humilitatem sunt consideratio propriæ vilitatis tam in ordine naturæ quam in ordine gratiæ; in neutro enim ordine quidquam boni habemus, quod a Deo non accepimus. Solum peccatum totum nostrum est; sed illud nos viliores reddit quam nihilum, tum ob peccata, quæ reapse patravimus, tum ob peccata, quæ patravissemus et patraremus, nisi Deus gratiæ suæ efficaciâ nos impediret. Ex hac consideratione progigni debet venerabunda et obsequiosa erga Deum submissio, quæ facit ut homo sibi non complaceat, sed omnem gloriam in Deum refundat; deinde sui erga alios homines submissio, vi cujus omnibus sese inferiorem existimat, atque contemp-

tus, injurias ac approbria cum pace, imo et cum gaudio sustinet. Hæc animi humilitas et verbis, et gestibus, et factis sese patefacere debet, in omnibus moderationem, modestiam, et quamdam simplicitatem adhibendo.

§ VI. Virtutes theologicæ.

221. — Postquam ea, quæ ad christianæ perfectionis terminum conducunt, exposuimus, de ipsâ perfectionis substantiâ quædam delibabimus. Vitæ christianæ terminus perfecta charitas est; attamen perfectio etiam in fide et spe quodammodo consistit; nam et istæ virtutes nos Deo immediate conjungunt, ac charitati inseparabili quodam nexu ita copulantur ut possibile non sit amare Deum, quin prius ingentem illius bonitatem ope fidei agnoscamus, et necessarium ad ejus amorem auxilium ab eo speremus.

Fides. Ejus proprietates.

1° **Fides** debet habere hasce proprietates: 1° sit *simplex;* nimirum postquam homo divinam revelationem debitâ certitudine agnovit, firmissimæ divini verbi auctoritati innitatur oportet; 2° sit *firma*, ita ut nullatenus vacillet, sed stabilis persistat; hæc proprietas a priori descendit; nam, sicut fundamentum, cui innitur, inconcussum est, sic et fidem immobilem esse oportet; 3° sit *fortis*, ita ut quævis potius mala tolerare velit, quam vel unguem a fidei professione recedere; hæc proprietas similiter a priori descendit, sed insuper originem suam trahit *a*) ex augmento habitus fidei, quod frequenti actuum exercitio obtinetur; *b*) a Sacramento Confirmationis, quod fidem roborat; *c*) ex gratia gratis datâ, oratione et bonis operibus impetrandâ. — Homo justus et perfectionis studio intentus ex fide vivit, inquit Apostolus ad Hebr. X. 38, id est, in omnibus, quæ cogitat, loquitur et operatur, fidei præcepta sequitur, fidem pro continuâ omnium operationum suarum normâ habet.

Spes. Ejus proprietates.

2° **Spes** ad Deum adspirat, et debet hisce proprietatibus imbuta esse: 1° *Soli Deo innixa* sit, siquidem Deus solus omnium bonorum largitor est. Spes in creatura tamquam in instrumento reposita, tandem in Deo terminari debet.

2° Sit *firma;* quia certissimis Dei promissis fundatur. 3° Sit *timore Domini stipata;* timor enim custodit humilitatem, præpedit præsumptionem et negligentiam. — Spes in nobis salutares effectus progenerat, nimirum 1° dilatat cor, ita ut viam perfectionis alacriter curramus; 2° solatio nos et lætitiâ perfundit; 3° animosos nos reddit ad ardua aggredienda et adversa toleranda. — Spes, seu potius fiducia, præcipue exercenda est in oratione, in tentationibus, et tempore tribulationis.

Charitas Dei. 3° **Charitas** voluntatem nostram elevat ad Deum super omnia bona creata amandum, eumque amandum propter seipsum, quia omnem perfectionem et omne bonum complectitur. Porro, qui Deum amat, a Deo redamatur, sicque oritur amicitia, et inde bonorum communicatio; Deus enim per gratiam sanctificantem animam possidet, et anima quamdam Dei possessionem jam in hac vita adipiscitur. Charitas insuper omnes alias virtutes præmio æterno dignas reddit. Media divinam charitatem consequendi sunt: 1° eam ardenter desiderare, et sine intermissione postulare; 2° inordinatum amorem suî continuâ mortificatione deprimere; nutrimentum enim charitatis est imminutio cupiditatis, perfectio nulla cupiditas; quisquis igitur charitatem nutrire cupit, instet imminuendis cupiditatibus, inquit S. Augustinus (1); 3° frequenter in meditationibus motiva ponderare, quæ ad Summi Boni amorem exstimulant; Deus nempe et amabilis et amator est; 4° actus charitatis frequenter elicere. Actus isti ad quinque reducuntur, qui sunt: 1° Actus amoris *complacentiæ*, quando homo lætatur de infinitis Dei perfectionibus, ac summa Ejus beatitudine, quæ nullâ hominum malitiâ decrementum capere potest. 2° Actus amoris *prælationis* seu amoris *appretiativi*, quo homo Deum tanti æstimat, ut eum omnibus bonis creatis, imo et sibiipsi anteponat, paratus omnibus se privare ac cuivis malo se submittere, potius quam Dei vel offensam vel displicentiam incurrere. Sed hic amor tres gradus

Media obtinendi.

Actus diversi amoris.

(1) De civitate Dei. lib. 83. qu. 36.

habet, prout nempe homo bona et mala omnia despicit vel ad evitandam solam offensam Dei gravem, vel etiam ad evitandam offensam levem, vel insuper ad evitandum ne Deo minus placeat. 3° Actus amoris *benevolentiæ*, quo homo exoptat Dei gloriam et honorem quibuscumque expensis promovere, offerendo illi tum proprias laudes tum laudes et obsequia Angelorum et Sanctorum; procurando omnibus modis in proximo Dei cultum, legum divinarum observantiam, et christianarum virtutum exercitium; ardenti tandem zelo adlaborando ut Dei offensas meliori quo in statu suo potest modo impediat. Hic zelus gloriæ Dei non solum Episcopis et Sacerdotibus, sed omnibus suo modo est proprius. 4° Actus amoris *dolorosi*, quo anima Deum amans dolet magnopere de offensis sive a seipsâ sive ab aliis contra eum admissis. Hic amor vitæ præsenti præcipue convenit. 5° Actus amoris *conformitatis*; conformitas cum voluntate Dei in omnibus, tam quoad cordis affectus quam quoad operum effectus, ita ut homo sollicitus sit ne vel apice divinæ voluntati contraveniat, est omnium præcipuus divinæ charitatis actus. Deus enim summopere meretur quod ejus voluntatem adimpleamus, ob summam ejus amabilitatem, et quia quà Creator, Redemptor, Pater, et Amicus noster infinitum ad id jus habet. Deinde ex hac conformatione præsentis vitæ nostræ felicitas pendet; ei enim, qui in omnibus Dei voluntatem expetit, nil unquam accidere potest, quod non et ipse velit; unde in omnibus vivit plene contentus, et internâ pace perpetuo gaudet; sic enim diligentibus se Deus omnia vertit in bonum.

Charitas proximi.

Ex charitate erga Deum suâ sponte progignitur charitas erga proximum; nam ope amoris divini proximus non propter seipsum, nec ob præclaras ejus dotes naturales, sed propter Deum diligitur. Ex S. Scriptura merito infertur animarum nostrarum salutem nullâ aliâ virtute securiorem reddi, quam ipsâmet hâc proximi dilectione; affirmat enim S. Paulus ad Rom. XIII. 8. »Qui diligit proximum, legem »implevit," et S. Joannes in I epist. IV. 12: »Si diligamus »invicem, Deus in nobis manet." Opera autem charitatis,

Opera charitatis.

Dilectio inimicorum. quæ erga proximum exercere debemus, sunt 1° *dilectio inimicorum*; actus hic, prout omnium difficillimus, ita etiam omnium dignissimus est, cum Redemptori nostro simillimos nos reddat. Propterea animum semper præparatum habere debemus ad quamcumque injuriam mansueto corde excipiendam, omnemque prorsus vindictam abjiciendam. Ulterius debemus acceptæ injuriæ nec memoriam servare nec animi aversionem, de malo inimici non lætari, sed de ejus prosperitate gaudere. Insuper debemus omne bonum inimicis nostris sincero affectu exoptare, atque a Deo deprecari. Tandem hoc illis præstare cum ingenti nostro incommodo. En tot perfectionis gradus in dilectione inimicorum. 2° *Eleemosyna* amore Dei peracta; ad eleemosynam reducitur omne, quod proximo auxilio indigenti præstatur levamen. Quantopere eleemosyna Deo placeat, nos docet S. Scriptura, in qua nihil frequentius et fortius inculcatum legimus. Adhæc Deus omne id, quod in subsidium pauperum erogatur, centuplo fœnore restituere solet. 3° *Zelus animarum*; officia charitatis, quæ in spirituale animarum commodum præstantur, nos Deo pro animabus nostris tanta operanti similes reddunt, et nulla propterea res coram Deo charitate hac acceptior est. Charitas ista, quæ spirituale proximi bonum respicit, singularis obligatio Sacerdotum est, eorum præcipue, qui curæ animarum oneri sese subdiderunt; hi namque muneri huic non ex charitatis motivo solum, sed et ex justitiæ titulo incumbere tenentur. »Pensemus, »inquit S. Gregorius (1), cujus damnationis sit, sine labore »percipere mercedem laboris. Ecce ex oblationibus fidelium »vivimus, sed numquid pro animabus fidelium laboramus?" Alii deinde ex titulo professionis suæ huic charitatis officio operam navare tenentur; tales sunt ii Religiosi, quorum Institutum ad promovendam animarum salutem ordinatur. Omnes hi ab officio suo magnopere deflectunt, si huic spiritualis charitatis exercitio sese non consecrent. Porro, duo sunt pabula, quibus principaliter spiritualis fidelium vita

Eleemosyna.

Zelus animarum.

(1) Hom. 17. in Evang.

nutritur, pabulum nempe verbi divini, et pabulum Sacramentorum. Ope verbi Dei auditorum mentes ad superarum veritatum intelligentiam illustrantur, et voluntates sanctis affectibus, horrore scilicet vitii et amore virtutis inflammantur, ita ut a via iniquitatis declinantes ad rectam salutis suæ semitam convertantur. Sed hunc in finem necesse est ut verbum Dei et cum vero charitatis spiritu et stylo simplici proponatur. Sacramenta cœlestes canales sunt, per quos Dei gratia in animas nostras descendit ad eas vel sanandas, si lethalibus culpis sauciatæ sint, vel corroborandas, si sanæ fuerint. Imprimis autem Sacerdotem intentum esse oportet ad administrandum Sacramentum Pœnitentiæ; hoc enim fidelibus omnium maxime necessarium est; nam, sicut in iterandis iisdem peccatis ingens est hominum fragilitas, ita ingens quoque datur necessitas frequenter recurrendi ad balsamum pœnitentiæ. Quibus adde, charitatem, zelum, misericordiam, patientiam, et quasvis alias virtutes a Sacerdote in nullo Sacramento tantopere exerceri ac in hoc, ita ut aliorum salvans animas, etiam propriam perficiat ac locupletet.

Summa doctrinæ.

Tota hæc doctrina paucis hisce comprehendi potest: Status perfectionis præsenti vitæ proprius ille est, in quo motus pravorum appetituum sunt remissi et rari, ac insuper cum facilitate superantur; in quo peccata non committuntur cum plenâ deliberatione; et in quo homo cum Deo, quantum occupationes concedunt, conjunctus vivit, jugiterque ad majorem perfectionem adspirat.

Articulus II.

REGULÆ GENERALES DIRECTIONIS.

Requisita in Directore.

222. — Fidelis ductor securum viatori iter monstraturus debet ante omnia itineris terminum nosse; deinde scire rectas ac securas, quæ ad dictum terminum perducunt, vias; pericula per viam occurrentia, ut ea possit effugere; cibaria itineri necessaria, ut viatorem de iis provideat. Hæc omnia

supra summatim exposuimus, et director in libris asceticis uberius pertractata inveniet, e. g. in *Directorio ascetico* Patris Scaramelli, ex quo præfatum summarium deprompsi. Ad hæc omnia præstanda, requiruntur in Directore scientia non solum Theologiæ moralis, verum etiam scientia haud parva Theologiæ asceticæ, cui proin incumbere debet; prudentia cum experientia in vita spirituali; et bonitas vitæ non communis.

Regulæ directionis.

223. — Porro, cum Confessarius nactus fuerit pœnitentes perfectionis capaces, sequentes regulas observet: 1° Cog-

Cognoscat interiora animæ.

noscere studeat intimos eorum animi motus, eorum indolem, bonas propensiones, quas Deus illis largitus est, et quò Spiritus S. suis inspirationibus eos ducere incipit; non enim omnes eodem sunt modo dirigendi, sed unusquisque dirigendus est juxta vires suas et statûs sui conditionem; deinde eæ præcipue suadendæ et prosequendæ sunt virtutes, ad quas cujusque indoles propendet; nam Dei gratia naturæ se accommodat, ut suavius finem prosequatur homoque constantius pergat. 2° Excitet ipsos ut foveant

Excitet desiderium perfectionis.

desiderium constans maximæ perfectionis, etsi non videantur ad eam perventuri; quia desiderium istud faciet ut multum mereantur et eam attingant saltem perfectionem, cujus sunt capaces. 3° Non nimis urgeat pœnitentem, vo-

Utatur moderatione.

lens ut uno quasi volatu ad culmen sanctitatis ascendat, sed paulatim et per gradus ducat, incipiendo a minoribus. Neque altius enitatur quam quò Deus vocat, qui singulis certam perfectionis mensuram ponit, certumque sanctitatis genus definivit; idcirco pœnitentes dirigat juxta operationes gratiæ, quas in iis advertit, illas subsequendo pœnitentesque adjuvando ut illis cooperentur, cuncta peragendo quæ gratia inspirat et expostulat. Hunc in finem discernere quoque conetur inter motus gratiæ et naturæ. Caveat igitur ne pœnitentes impellat ad gradum orationis vel mortificationis, ad quem gratia divina non attrahit; imo, quando videt pœnitentes naturali quodam fervore, consolationibus spiritualibus excitato, nimia aggredi velle, contineat ipsos; contra vero, si quis socordiam ostendat, apte exstimulet

illum. Caveat quoque Confessarius ne fervidis incipientium principiis multum confidat ; non raro enim evenit ut, sensibili gratiâ recedente , tepescant. 4° Omni ope adnitatur Confessarius , ut, quos erudit ad perfectionem , suas sibi tentationes, incursantesque animum cogitationes aperiant; hoc quippe præcipuum subsidium est tironibus aut non satis peritis exercitatisque. Ne igitur severiorem se illis præbeat; severitas enim fiduciam excludit, atque adeo periculum creat ne pœnitentes fraudes dæmonis silentio supprimant, telisque acerrimi hostis expositi, misere decipiantur. 5° Doceantur pœnitentes, cujusque perfectionem in eo sitam esse ut opera ordinaria et quotidiana bene peragat, faciendo ea, quia, quando, et quo modo ea vult Deus fieri, cujus voluntas omnis perfectionis fons et norma est. Hæc doctrina præ cæteris convenit iis, qui placidam naturam sortiti sunt. 6° Director animum primò eò intendat ut illi, quos ad perfectionem ducere contendit, omnes repugnantias corruptæ naturæ jugi mortificatione deprimant, atque adeo perversis suis inclinationibus contradicant, inordinatas suas passiones castigent, sensus suos refrænent, et a rebus exterioribus, puta a propinquis, a divitiis, ab honoribus, sese avellant; hisce enim impedimentis sublatis, omnium virtutum habitus facile acquiruntur. Huc dirigat omnia media perfectionis, meditationes nempe precesque, usus Sacramentorum, pias lectiones, divinæ Matris aliorumque Sanctorum cultum, etc. At hìc quoque ordinem servare oportet: initium nimirum a facilioribus est ducendum; unde primò sensuum externorum, puta oculorum, linguæ, auditûs, tactûs et gulæ mortificationi incumbendum est; deinde ab amore divitiarum, honorum, et aliarum rerum delectabilium animus abstrahendus; postea magis operam dent omnium passionum, imperfectarumque animi motionum expugnationi. Cum vero impedimenta hæc magnâ ex parte superata viderit Director iisdem eos mediis uti jubeat ad omnium virtutum moralium actus cum facilitate exercendos. Postea curet ut ad omnes charitatis erga Deum et proximum actus cum facilitate exercendos dicta media impendant. Sedulo

Exigat tentationum manifestationem.

Doceat veram perfectionem.

Perducat ad mortificationem.

autem notandum est, laudatum ordinem de exercitatione *prædominante* intelligendum esse; nam eodem tempore, quo quis adhibet media perfectionis, removentur ejusdem impedimenta, acquiritur facilitas in virtutum moralium exercitio, et charitas magis inflammatur; et quanto est major usus mediorum, remotio impedimentorum, et alacritas in exercitio virtutum, tanto quoque ferventior erit charitas, et homo perfectior. 7° Caveat Confessarius ne in errorem inducatur; incidet nimirum in quasdam personas, quæ multis orationibus occupantur, Sacramenta frequentant, peculiarem Mariæ Virginis cultum profitentur, libros spirituales perlegunt; verumtamen in omnibus his aliud non quærunt, nisi quoddam devotionis pabulum et certum pietatis sensum; quem dum obtinent, omnia sibi fecisse videntur: dum hunc autem non consequuntur, nihil præstitum fuisse autumant. Hujusmodi personæ hallucinantur, cum media ad rectum finem non dirigant. 8° Probandi igitur sunt pœnitentes ad perfectionem adspirantes, ut advertatur quo spiritu ducantur, Dei an amoris proprii, et quænam passio in iis sit prædominans, ideoque præ reliquis mortificanda; attamen unusquisque probandus et tractandus est secundum indolem et complexionem suam. Unde illi, qui pusilli sunt animi, levius sunt tractandi; erga illos vero, qui magni sunt animi et recipiunt gratias extraordinarias, suavitati jungenda est quædam severitas, eo quod pares sint difficultatibus; horum tamen probatio non sit quæsita et aperta, sed fiat e re natâ, ut non videatur recedi a communi modo vulgares animas dirigendi; quare communia et levia quandoque ipsis imponenda sunt; sic enim reprimetur superbia et aviditas rerum extraordinariarum; sin autem advertant se probari, facile fingunt humilitatem et subjectionem. Optima probatio est obedientia. 9° Quamvis perfecti malas suas inclinationes magnâ ex parte devicerint, scire tamen Directorem oportet, Deo permittente subinde evenire ut a dæmone vexentur horrendis tentationibus et vehementibus passionum motibus. Quare caveat ne sinistram de iis opinionem formet, sed majoris

Caveat allucinationem.

Probet pœnitentes.

Deus suos probat.

æstimet, propter utilitatem divinæ hujusmodi probationis. »Tentat vos Dominus Deus noster, ut palam fiat utrum »diligatis eum annon in toto corde et in totâ anima vestrâ." (Deuteron. XIII. 3.)

Articulus III.

PRAXIS ORATIONIS MENTALIS.

224. — Oratio tribus constat partibus, nempe præparatione, meditatione, et conclusione.

I. **Præparatio.** In præparatione tres continentur actus, videlicet actus fidei de præsentiâ Dei, humilitatis propter peccata commissa, et supplicationis divini luminis. En formulam quamdam: »Mi Deus, credo te mihi esse præsen- »tem, et in mei nihili abysso demersus te adoro. Domine, »propter peccata mea in inferno cruciandus essem; me »pœnitet offendisse te, per pietatem tuam ignosce mihi. »Pater æterne, propter Jesum et Mariam præbe mihi »lumen in hâc oratione, ut ex eâ fructum percipiam." Deinde dicatur *Ave Maria* ut Ipsa illud lumen impetret, et *Gloria Patri* in honorem S. Joseph, S. Angeli custodis, et S. Patroni. Hi actus eliciendi sunt attente, sed breviter, et illico progrediendum est ad meditationem. *Præparatio.*

225. — II. **Meditatio.** Quod meditationem attinet, juvat uti aliquo libro spirituali, quo quis introitum sibi pandat in orationem, quemadmodum facere solebat S. Teresia. Unusquisque seligat materiam, erga quam majorem experitur devotionem, et ex quâ majorem colligit fructum, sive sint novissima, sive Dei beneficia, sive præ cæteris vita et passio Jesu Christi; hæc enim est materia omnium præstantior, utpote in quâ melius quam in qualibet aliâ perspicitur malitia peccati, et amor Dei erga hominem; propterea deberemus quotidie eam meditari. Porro in meditatione debemus apes imitari, quæ eo usque immorantur uni flori, donec omne mel extraxerint, et postea transvolant ad alium. Oportet autem advertere orationis mentalis pro- *Meditatio.*

fectum non solum nec tantopere consistere in meditatione, quam in affectibus eliciendis, in petitionibus faciendis, et propositis capiendis; hi namque sunt tres meditationis fructus, ad quos producendos illa tendere debet, et propter quos illa derelinqui debet quumprimum homo se commoveri sentit.

Affectus. Igitur 1° postquam aliquam fidei veritatem quis meditatus est, et postquam Deus cor ejus allocutus est, oportet ut ipse suo corde Deum alloquatur, eliciendo *affectus*, puta actus fidei, fiduciæ, gratitudinis, adorationis, laudis, humilitatis, et præ cæteris contritionis et amoris, offerendo se totum Deo, totumque se sanctæ ejus voluntati addicendo, ac repetendo sæpius illum actum amoris, ad quem anima propensiorem se sentit. Amor est illa catena aurea, quæ adstringit animam Deo; quilibet actus amoris thesaurus est, quo certi reddimur de amicitiâ Dei: »Infinitus enim »thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti »sunt amicitiæ Dei." (1) »Ego diligentes me diligo." (2) »Qui diligit me, diligetur a Patre meo." (3) »Charitas »operit multitudinem peccatorum." (4) — Reliquum est ut duas observationes adjiciamus, nimirum: *a*) Siquando anima se supernaturali seu infusâ recollectione Deo conjunctam sentiret, non debet alios actus elicere quam illos, ad quos se sentit a Deo suaviter impelli; cum tunc debeat animo amanter intento id solum curare, quod Dominus operatur in eâ; aliàs namque obstaculo esse posset divinæ operationi. *b*) Si Spiritus Sanctus aliquem bonum affectum inspirat ante considerationem, tunc, omissâ consideratione, animus applicandus est affectibus; nam consideratio eò tendit ut affectus concitentur; quare, obtento fine, prætermittendum est medium.

Petitiones. 2° Summopere quoque juvat *petitiones* in oratione repetere, cum humilitate et fiduciâ exposcendo a Deo lumen, peccatorum remissionem, perseverantiam, bonam

---

(1) Sap. VII. 14. — (2) Prov. VIII. 17. — (3) Joan. XIV. 21. — (4) I Petr. IV. 8.

mortem, paradisum, et imprimis donum sui sancti amoris. Ven. P. Segneri dixit se experientiâ didicisse nihil utilius esse in meditatione quam iterum atque iterum precari, et precari in nomine seu per merita Jesu Christi, qui nobis præclaram illam promissionem fecit: »Amen, amen dico »vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit »vobis." Hinc, si quis propter desolationem spiritûs aliud facere non posset, satis erit quod replicet hanc Davidis precationem: »Deus, in adjutorium meum intende; Do»mine, ad adjuvandum me festina."

Propositum.

3° Ut oratio non remaneat infructuosa, et anima exsecutioni mandet lumina, quæ in eâ recepit, oportet in oratione, saltem in fine ejus, aliquod *propositum* capere, non generale tantum, uti evitandi omnem culpam deliberatam, etiam levem, et se totum dandi Deo, sed particulare quoque, e. g. diligentius fugiendi aliquem defectum, in quem sæpius quis labitur, aut melius exercendi aliquam virtutem, circa quam frequentiores habet occasiones sese exercendi, puta tolerandi alicujus molestias, exactius obediendi tali Superiori aut tali regulæ, studiosius se mortificandi in tali re, et similia. Ab oratione igitur non est discedendum sine aliquo proposito particulari.

Conclusio.

226. — III. **Conclusio.** Demum orationis conclusio tribus actibus perficitur, nempe 1° Gratiæ Deo agantur pro omnibus luminibus in hâc meditatione acceptis. 2° Statuatur propositis captis fideliter stare. 3° Rogetur ab æterno Patre ut propter Jesum et Mariam auxilium suum præbeat ad fideliter exsequenda proposita. Tandem commendandi sunt Deo animæ purgantes, Prælati Ecclesiæ, peccatores et omnes conjuncti, amici et benefactores, recitando unum *Pater* et *Ave*, quæ sunt omnium precum, quas a Christo et Ecclesiâ docti sumus, utilissimæ.

Oportet insuper in exitu orationis 1° colligere fasciculum florum, qui per diem olfactetur, i. e. seligere unam alteramve sententiam, quæ animam magis commovit, ut per diem ejus reminiscatur eâque reficiatur. 2° Operam dare ut statim exsecutioni mandentur capta proposita, tam in

parvi quam in magni momenti occasionibus, quæ occurrunt; e. g. dulcedine devincere personam aliquam, quæ nobis infensa est, aut mortificare visum, auditum, loquelam. Præcipue refert, quantum fieri potest, silentio conservare motus illos affectuum, quos in oratione Deus communicavit; nam, si quis statim ad actiones et sermones inutiles divertat, fervor devotionis in oratione conceptus mox evanescet.

Hortatio ad perseverantiam.

227. — **Monitum.** Super omnia denique Director pœnitentes suos sedulo admoneat ne orationem intermittant nec quidquam temporis ab illâ detrahant tempore ariditatis, et ne unquam turbentur, etiamsi multum et diu desolatos se viderent. Quot aulici, ajebat S. Franciscus Salesius, principem suum honoratum eunt, et satis est ipsis conspici ab illo. Orationem adimus ad obsequendum ac complacendum Deo nostro: si lubet ipsi nos alloqui et suis consolationibus nobis favere, gratias illi agamus de tanto favore; sin minus, sufficiat nobis æquo animo in conspectu illius stare, eum adorando et nostras necessitates ei exponendo; et si tunc Dominus nobiscum non loquetur, utique gratam habebit attentionem ac fidelitatem nostram, et pro nostrâ in eum fiduciâ supplicationes nostras exaudiet. (*n.* 123. 219—226.)

Articulus IV.

PRAXIS MORTIFICATIONIS.

Prudentia requiritur.

228. — Ante omnia monendus est Director ut in hâc materiâ procedat secundum christianam prudentiam, sectando nempe viam mediam, atque adeo caveat tam ab excessu quam a defectu. Dantur enim Directores imprudentes, qui omnem animæ profectum collocare videntur in jejuniis, ciliciis, vigiliis, adustionibus, et his similibus, quibus eam onerant. Alii videnter omnes mortificationes externas contemnere tamquam inutiles progressui spirituali, totam perfectionem in interiori mortificatione collocando;

sed hi quoque errant, quoniam mortificationes corporales adjuvant internas, et sunt quodammodo necessariæ (quando possunt exerceri) ad frænandos sensus; et ideo legimus illas ab omnibus Sanctis plus minusve fuisse frequentatas. Verum quidem est, mortificationem internam passionum esse potissimum exigendam, prout esset e. g. non respondere injuriis, non quærere neque manifestare ea quæ tendunt ad propriam æstimationem, cedere in contentionibus, aliorum voluntati obsequi (utique sine damno spirituali); idcirco expedit aliquando prohibere alicui omnes mortificationes externas, quoadusque se sentiat liberum ab aliquâ passione, quæ dominatur in ipso, puta vanitatis, rancoris, cupiditatis mundanæ, æstimationis suiipsius aut propriæ voluntatis. Sed asserere mortificationes externas nihil aut parum prodesse, maximus error est. S. Joannes a Cruce dicebat ei, qui pœnitentias improbat, nullam fidem habendam esse, etiamsi miracula perpetraret. (*n.* 145.)

229. — Quod mortificationes concedendas attinet, Director observet sapientissimas ac moderatissimas regulas, quas S. Alphonsus hâc de re tradit. 1° Sub initio præ reliquis injungat pœnitenti ut nihil faciat contra ejus obedientiam aut sine illâ; qui enim contra obedientiam pœnitentias agunt, in vitiis magis quam in virtutibus progrediuntur. 2° Animas sic instituat ut mortificationes externas suâ sponte deposcant; quia non multum prosunt, si non avide suscipiantur; quare generalem hanc regulam sibi statuat, nimirum, ordinarie loquendo, non concedendi illas, nisi rogatus fuerit; et, quoties concedit, minus quam postulatur concedat, excedatque potius in denegando quam in concedendo. Cæterum, alio modo se gerat erga incipientes, alio modo erga proficientes et provectos in vitâ spirituali. Hinc 3° advertat Director Dominum solitum esse animas, quando vitam spiritualem incipiunt, allicere consolationibus sensibilibus; in primo illo fervore vellent se interficere vigiliis, ciliciis, jejuniis, et similibus exercitiis afflictivis. Interea oportet ut Director admodum parce concedat hujusmodi mortificationes, etiamsi pœnitentes eas importune efflagitent, nam

Regulæ servandæ.

Obedientia.

Spontanea petitio.

Moderatio cum incipientibus.

aliàs, superveniente inde tempore ariditatis, prout advenire solet, anima pristino suo fervore sensibili destituta facile omittet omnes suas mortificationes, et incipiens inde diffidere, relinquet etiam orationem et vitam ipsam spiritualem, utpote res sibi minime accomodatas, sicque amittet omnia. Aliquando etiam accidit ut incipientes, primo fervore pulsi, modum prorsus excedant, et incidant in morbum corporis; tunc, ut reficiantur, omittunt omnia exercitia spiritualia, cum ingenti periculo ea postea non resumendi. Idcirco Director curare debet ut incipientes prius solidentur in vitâ spirituali; in initio satis erit eis concedere aliquam levem et raram mortificationem, ut diem jejunii, catenulam, vel abstinentiam, potius ad ingerendum in eorum animis mortificationis desiderium, quam ad eos competenter mortificandos. 4° Processu temporis poterit Director liberalius agere, juxta progressum quem anima faciet in virtutibus; quando enim illa erit in spiritu solidata, non poterit sine scrupulo opportunas mortificationes ei denegare. Unde, consideratis circumstantiis sanitatis, occupationum, atque fervoris, concedat eas mortificationes externas, quas singulis magis convenire judicaverit secundum christianam prudentiam. 5° Quoad delectum mortificationum Director præcipue suadeat mortificationem circa gulam, quam nonnullæ animæ spirituales parum curant; attamen hæc est omnium durissima, et utilissima spiritui, et sæpe etiam corpori. »Qui non coërcet gulam, dicebat S. Philippus »Nerius, nunquam perveniet ad perfectionem." E contrario parcus sit in concedendis mortificationibus somni necessarii; quoniam hæ facile et corporis et spiritus saluti nocivæ sunt; sublato enim somno sufficienti, caput languescit, et homo fit inhabilis ad meditationem ac cætera exercitia pietatis. Porro meliores, utiliores, ac minus periculosæ sunt mortificationes negativæ, ad quas faciendas, regulariter loquendo, non est necessaria permissio Directoris; hujusmodi sunt, e. g. privare se visione aut auditione rerum curiosarum, loqui parce, contentus esse cibis insipidis aut male conditis, non manducare nec bibere extra tempus

Liberalitas cum progressis.

Delectus mortificationum.

refectionum, tempore hiemis non accedere ad ignem, pro seipso res viliores eligere, gaudere de defectu alicujus rei etiam necessariæ, non conqueri de incommodis temporum, neque de contemptibus ac persecutionibus, quibus afficitur, neque de infirmitatibus, quas patitur. Scalpro enim dolorum poliuntur lapides cœlestis Jerusalem; quare S. Teresia dicebat: »Credere Deum in suam amicitiam recipere »gentem commoditatis amantem, dementia est. Animæ, »quæ vere diligunt Deum, non possunt quietem expetere." 6° Ut pœnitentibus suis omnem auferat superbiendi occasionem, Director dicat illis mortificationes eorum nihil prorsus esse, si comparentur cum iis, quas Sancti fecerunt, et cum doloribus, quos Jesus Christus amore nostri perpessus est. Quocirca S. Teresia dicebat: »Quantumcumque »facere possimus, si comparetur cum unâ guttâ sanguinis, »quem Dominus effudit pro nobis, totum immunditia est." (*n.* 146.)

Actus virtutis alii occulte, alii palam exercendi.

230. — Hic oritur sequens dubium. Evangelium in uno loco dicit: »Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut »videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, »qui in cœlis est." (1) In alio loco dicit: »Te autem fa»ciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dex»tera tua." (2) Quæritur ergo utrum actus virtutis sint manifestandi aliis, an vero occultandi?

Respondetur distinguendo: opera communia, ad virtutem christianam necessaria, exerceri debent palam; cujusmodi sunt frequentatio Sacramentorum, oratio mentalis, visitatio SS. Sacramenti, auditio Missæ animo recollecto et flexis genibus, oculos deferre modestos, silentium in ecclesiâ servare, dicere se velle sanctum evadere, fugere loquacitatem, conversationes periculosas, curiositates, et his similia. Opera vero extraordinaria et quæ sapiunt singularitatem, occultari debent quantum fieri potest; talia sunt cilicia, flagellationes, oratio cum brachiis expansis, masticatio herbarum amararum, suspiria aut fletus tempore

(1) Matth. V. 16. — (2) Matth. VI. 3.

orationis, etc. Alia vero sunt hujusmodi opera virtutis, quæ quidem ut occultentur quoad fieri potest præstabit, attamen, si nonnisi palam exerceri queant, non debent prætermitti, dummodo fiant ex solo fine placendi Deo; talia opera sunt ministrare infirmis, eleemosynam erogare pauperibus, humiliare se coram faciente injurias et similia. (*n.* 147.)

Articulus V.

FREQUENTATIO SACRAMENTORUM.

Confessio. 231. — Quemadmodum Deus nulli animæ consummatam charitatem in cœlesti patriâ elargitur, priusquam, instar auri in fornace, purgatorii flammis ad omnimodam puritatem emundata fuerit, sic etiam neminem in præsenti vitâ perfectæ charitatis dono locupletat, nisi ab omni peccato sollicite cavet, et peccatorum sordes contractas frequenter abluit. Porro hunc geminum effectum Confessio producere solet; proinde ejus usus magnopere conducit ad cordis puritatem consequendam.

Quod ad praxim attinet, expedit incipientibus insinuare ut Confessionem generalem peragant, si nondum fecerint. Quodsi eam jam peregerint, vel si persona esset scrupulis agitata, oportet eam prohibere. Deinde, quoad Confessionem ordinariam, quædam personæ conscientiæ admodum teneræ solitæ fuerunt quotidie confiteri; sed generaliter loquendo, sufficit personis spiritualibus, scrupulosis præsertim, confiteri semel aut ad summum bis in hebdomada. Quando vero aliqua ex istis gravaretur peccato veniali, et careret opportunitate confitendi, non debet propterea Communionem omittere, sed uti aliis mediis, puta actu contritionis aut amoris, ad animam mundandam a labe istâ; quinimo nonnullis animabus timoratis magis conducit propriis actibus, quam ipsâ Confessione, se ad Communionem disponere, eo quod tunc actibus ferventioribus contritionis, humilitatis, et fiduciæ se disponant. (*n.* 148.)

232. — Quemadmodum Baptismus est Sacramentum fidei, quæ est fundamentum spiritualis vitæ, sic Eucharistia est Sacramentum charitatis, quâ spiritualis vita consummatur. Idcirco summopere expedit ut personæ spirituales Sacram Communionem sæpe percipiant. Verumtamen in hoc negotio quidam Confessarii errant ob nimiam indulgentiam, alii ob nimium rigorem. Non est dubium quin error sit, Communionem frequentem, i. e. plus quam semel in hebdomadâ, iis concedere, qui sæpe in peccata gravia labuntur, nec solliciti sunt de agendâ pœnitentiâ ac de suâ emendatione; aut iis, qui accedunt ad Communionem cum affectu ad peccata venialia deliberata sine ullo desiderio sese ab eis liberandi. E contrario errant, et longe recedunt a spiritu Ecclesiæ, illi, qui, spretâ indigentiâ aut profectu animarum, negant indiscriminatim Communionem frequentem, non aliâ ratione ducti quam quia frequens est. (*n.* 149. 150.)

S. Communio.

Extrema vitanda.

Viam mediam sectando, dicimus cum communi sententiâ Doctorum, Communionem frequentem sine scrupulo negari non posse iis pœnitentibus, qui eam desiderant ut proficiant in divino amore, si affectum ad peccatum veniale non foveant, sed sollicite ea vitare studeant, si ad passionum suarum moderationem mortificationemque attendant, si dediti sint orationis mentalis exercitio, et a Sacrâ Communione desiderium et robur ad ulteriores in virtute progressus referant. Hujusmodi pœnitentibus Sacra Communio bis, ter, quaterve per hebdomadam concedi poterit, prout nempe in perfectione magis vel minus progredi videantur. Illis vero, qui jam eo progressi sunt, ut magnam cum Deo communicationem acquisierint, et majorem partem malarum inclinationum suarum superaverint, Sacra Communio etiam quotidie concedi poterit, (demptâ tamen ordinarie unâ die in quâvis hebdomadâ, juxta praxim bonorum aliquot directorum); hæc enim est perfectio, quæ, attentâ humanâ fragilitate, in hâc vitâ haberi potest. Expedit etiam pœnitentes aliquando Communione privare, ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob alium bonum finem. (*n.* 150. 152.)

Regulæ servandæ.

Monita.

Singularitas vitanda.

233. — Regulis traditis quædam monita addenda sunt. 1° Si Monialis quædam magnæ perfectionis Sacrâ Communione refici singulis diebus mereretur, id tamen non facile ei permittendum erit, eo quod reliquæ Moniales bis terve tantum per hebdomadam communicare soleant; in tali casu enim uni soli quotidianam Communionem indulgere singularitas quædam esset, quæ illi vanitatis ansam, et aliis murmurationum fomitem subministrare posset. 2° Necesse non est cum devotione aut fervore sensibili ad Communionem accedere, sed sufficit in intimâ voluntate adesse alacritatem ad exsequenda quæcumque Deo placeant; imo qui ob nimium timorem suæ indignitatis Communionem omittunt, magnum suo progressui inferunt præjudicium. Neque ad prosequendas Communiones oportet ut quis sentiat aut luculenter in se discernat fervoris augmentum; quoniam non raro hoc Sacramentum operatur, quin nos ipsi animadvertamus. Quapropter, sicut expedit pœnitentem identidem mortificare differendo Communionem, quando ille magnum experitur Communionis desiderium, præsertim si tali prohibitione turbari videatur, siquidem hujusmodi contristatio est indicium superbiæ, quæ reddit eum indignum, sic ex opposito expedit illum ad sæpius communicandum impellere, quando ariditatem et tædium erga Communionem experitur, ut vires e Sacramento recipiat.

Devotio sensibilis non requiritur.

Tepidorum Communiones restringendæ.

3° Si Confessarius decursu temporis dignoscat, pœnitentem ope Communionis frequentis nihil proficere in viâ perfectionis, neque se emendare a culpis deliberatis, licet venialibus, certe consultum est usum Communionis restringere, eo etiam fine ut ille seriò cogitare incipiat de suâ emendatione, et suæ spirituali perfectioni consulere. (*n.* 155.)

Fructus frequentis Communionis.

234. — Utinam, concludit S. Alphonsus, multæ hujusmodi animæ in mundo invenirentur, quæ abhorrentes culpas etiam leves, expeterent communicare, non modo frequenter, sed etiam quotidie, cum vero desiderio se emendandi et in divino amore proficiendi! Profecto Jesus Christus plus diligeretur in mundo. Experientia sane demonstrat omnibus, qui in directione animarum aliquam praxim ha-

bent, ut et ego expertus sum, multum proficere personas illas, quæ recto cum desiderio ad Communionem accedunt, et Dominum mirum in modum eas ad suum amorem attrahere, quamvis sæpe hoc eis non manifestet pro majori earumdem bono; sed eas relinquat in tenebris et desolatione, ac sine ullâ devotione sensibili. Animabus istis nullum efficacius est adjutorium quam frequens Communio. Unde curet Confessarius Communionem suadere, quoties anima verum desiderium ostendat, eamque beneficio Communionis in spiritu proficere ipse agnoscat.

Gratiarum actio.

Studeat quoque Confessarius insinuare personis istis ut post Communionem tanto tempore, quanto possunt, immorentur in gratiarum actione. Rari sunt Directores, qui inculcant pœnitentibus suis ut post susceptam Communionem per aliquod notabile tempus cum Jesu Christo colloquantur; quia rari sunt Sacerdotes, qui post Missam subsistunt ad gratias Jesu Christo agendas, et ideo pudet eos aliis insinuare quod ipsi non faciunt. Gratiarum actio ordinarie, si non per horam, saltem per semihoram durare debet, operam dando affectibus et precationibus; adest enim tunc tempus prosperum impetrandi. Insinuet illis insuper ut sæpe instituant Communionem spiritualem, quam laudat Concilium Tridentinum, (1) (*n.* 155.) et de quâ scripsit S. Thomas: (2) »Effectus Sacramenti potest ab aliquo per»cipi, si Sacramentum habeat in voto, quamvis non acci»piat in re. Et ideo, sicut aliqui baptizantur baptismo fla»minis propter desiderium Baptismi; ... ita etiam aliqui »manducant spiritualiter hoc Sacramentum .... Et hoc »modo dicuntur baptizari et manducare spiritualiter, non »sacramentaliter, illi qui desiderant sumere hæc Sacra»menta ... Nihilominus plenius inducit Sacramenti effec»tum ipsa Sacramenti susceptio, quam solum desiderium."

Communio spiritualis.

(1) Sess. 13. cap. 8. — (2) 3. qu. 80. art. 1. ad 3.

Articulus VI.

OBSERVANDA CIRCA TENTATIONES.

235. — Animas, quæ Dei servitio sese devoverunt, dæmon non aperte tantum, sed sæpe occulte ac insidiose aggreditur, vel timorem incutiendo, dum sperandum foret, vel securitate implendo, dum timendum esset; idcirco conducet insidias ejus cognoscere.

Tentationes incipientium. 1° Initio, quo anima se tradit vitæ spirituali, solet Deus illam allicere specialibus luminibus, lacrymis et sensibilibus consolationibus; sed, elapso aliquo tempore, solet claudere hanc venam, subtrahendo sensibilem illam dulcedinem; tum quia animæ facile illi adhærent non sine impuritate quâdam et amoris proprii defectu, tum ut probet earum fidelitatem, easque ad majorem perfectionem extollat. (*n.* 125.) Cum autem Deus delicias subtrahit, dæmon anxietates ingerit, et conatur animos infringere, ut animæ putent virtutem se assequi non posse. Hoc si advertat Director, doceat eas in quo vera virtus consistat verusque profectus; eam nempe sitam esse in prompta, forti, et constanti voluntate faciendi quidquid Deo placere, et vitandi quidquid displicere novimus, patiendi insuper amore Jesu Christi omnem molestiam; doceat eas negotium perfectionis non perfici uno die, sed lente, uti plantæ crescunt et fructus maturescunt; proinde magno animo Dei beneplacito se committant.

Tentationes proficientium. 2° Proficientibus conatur dæmon persuadere eos jam satis esse progressos, jam satis sibi vim intulisse, atque ita paulatim ad teporem adducit, amorem commoditatis ingerendo. Indicia teporis sunt: 1° exercitia pietatis prius usitata ex levi ratione omittere, vel decurtare, vel nonnisi perfunctorie peragere; 2° consuetas mortificationes sine justâ causâ omittere, vel minuere; difficilia fugere, quæ quis antea tamquam levia amplectebatur; 3° solitudinis pertæsus consolationes et conversationes mundanas inquirere; 4° Sacramenta sine congruâ præparatione recipere;

5° divinas inspirationes et remorsus conscientiæ parvi pendere; et similia. Initium teporis difficulter, progressus autem ejus facile advertitur; si enim sedulo discutiatur oratio, mortificatio, modus resistendi tentationibus, dispositio ad Sacramenta, amor solitudinis, desiderium proficiendi, apparebit utrum progrediatur in virtute an vero deficiat. Noverit tamen Director vitiosum teporem ab utili illa ariditate, quam Dominus in personas spirituales aut probaturus aut purgaturus immittit, rite discernere. In utroque statu anima arida ac jejuna remanet; sed hoc intercedit discrimen, quod in ariditate voluntas fervore suo non est destituta, imo diligentiorem sese in virtutum exercitio exhibet; dum in tepore etiam voluntas deficit. Modus curandi teporem hic esse potest: Director ponat ob oculos tepidi jacturam gratiæ, hujus pretium, temporis a Deo concessi finem, damna et pericula teporis, mortem periculosam. Deinde proponat motiva fiduciæ in Deo concipiendæ. Denique jubeat ipsum omnia exercitia pietatis neglecta resumere, et bene peragere; sicut enim horum neglectu tepidus evasit, sic eorum accurato usu calidus fiet. Magnopere quoque juvabit, si in secessu sacra exercitia obeat.

Tentationes perfectorum.

3° Provectioribus solet dæmon tendere laqueum vanæ gloriæ, et cujusdam præfidentiæ. Hisce proderit discussio sui, et fragilitatis suæ consideratio.

Articulus VII.

OBSERVANDA CIRCA CONSOLATIONES ET DESOLATIONES.

Consolationibus non adhærendum.

236. — Dum adest consolatio, homo se dono Dei indignum reputet et fateatur, enitaturque eâ uti, non ad propriam fruitionem, sed ad animum a terrenis voluptatibus abstrahendum, ad virtutes arduas excitandum, magisque cum Deo conjungendum. Interim præparet se ad desolationem; Dei enim visitationes et consolationes neque constantes sunt, neque omnibus æqualiter contingunt, sed Deus modo dat eas, modo subtrahit; dat, ne dejiciamur;

subtrahit, ne iis abutamur, ut agnoscamus eas solius Dei dona esse, ferventius eas desideremus, cautius iis utamur, non labamur in superbiam, ut exerceamus solidas virtutes, impensisque nostris laboremus. Quapropter exspectandæ sunt a Deo, prout ipsi placuerit eas dare vel negare.

Finis subtractionis earum.

237. — »Consolationes sensibiles sunt quidem Dei dona, »sed non sunt Deus ipse; quare ut animas a se dilectas »avellat etiam a donis suis, et donatorem puriori amore »diligere cogat, efficit ut non inveniant amplius in ora»tione pabulum consuetum et solitam consolationem, sed »tædia, ariditates, tormenta, et quandoque etiam tentatio»nes. Summopere igitur sollicitus sit Confessarius ut ani»mos addat istis animabus tribulatis, atque exstimulet ipsas, »ne orationem et præscriptas Communiones prætermittant. »Proponat illis hanc S. Francisci Salesii sententiam: *Plus »valere coram Deo unam unciam orationis in mediis de»solationibus quam libras centum in mediis consolationi»bus.* Ille namque, qui Deum diligit propter consolatio»nes, plus Dei consolationes quam Deum ipsum diligit; »sed, qui Deum amat eique adhæret sine consolationibus, »hic verum ostendit amorem." (*n.* 125.)

Articulus VIII.

OBSERVANDA CIRCA MOTUS BONI ET MALI SPIRITUS.

Confessarius ne sit credulus.

238. — Siquando contingat ut pœnitentes extraordinaria confiteantur, puta illustrationes visionesque supernaturales, et alia ejusmodi, Confessarius, nisi indicia plane valida occurrant, generatim nullam ipsis fidem habeat. Non raro enim, qui talia sibi evenisse autumant, personæ sunt, quæ multa istius generis legerunt, et exinde magno illorum desiderio tenentur, item personæ, quarum fervida est phantasia, vel etiam corpus infirmitatibus exhaustum. Interdum etiam directa simulatio et hypocrisis locum habet. Hæc quidem monita præcipue de sexu fœmineo notanda veniunt; nam fœminæ propter debilem sexum magis obnoxiæ sunt

tum fictioni tum illusionibus. Quodsi persona humilitate aliisque solidis virtutibus insignis, necnon sedatæ simul indolis, tale quid sibi obtigisse testatur, etiam tum Confessarius mature procedat, rem serio expendat juxta regulas, quas probati Auctores statuunt, et, ubi rei momentum postulat, viros peritiores consulat; interim talem personam diversimode experiri studeat, per obedientiam maxime et humilitatem.

Criteria observet.

239. — Criteria porro ad discernenda extraordinaria, utrum a bono an vero a malo spiritu proveniant, hæc fere traduntur. Indicia mali spiritus sunt: 1° Si quæ repugnant sacræ Scripturæ, doctrinæ in Ecclesiâ receptæ, aut moribus Sanctorum. 2° Si quid inspiratur contrarium disciplinæ et praxi Ecclesiæ. 3° Si suggestio tendit ad res novas, curiosas, singulares; item, si inordinatum affectum excitat, aut suggerit ut res non manifestetur Superiori aut Confessario. 4° Si apparitiones ab initio plurimum alliciunt, postea vero mentem turbatam et ægre affectam relinquunt. 5° Si personæ sunt rerum extraordinariarum cupidæ, propter eas se magni faciunt, et alios, qui tales res non habent, contemnunt; item, si res suas extraordinarias leviter manifestant aliis.

Divinæ visitationis indicia sunt: 1° Si homo movetur ad sui abnegationem, mortificationem, et tolerantiam adversitatum, ad Christi imitationem, conformitatem cum voluntate divinâ, subjectionem proprii judicii, obedientiam perfectam, humilitatem, contemptum mundi, fugam honorum. 2° Si persona non desiderat extraordinaria, non propendet ad exercitia, quæ admirationem movent, sed ponit sanctitatem in operibus ordinariis bene agendis; si se indignam putat donis Dei, se propter illa non effert nec aliis præfert; si gaudet de contemptu, cum Confessarius judicat illustrationes suas esse illusiones; si dona sua occultat; si, illucescente speciali visitatione, confugit ad humilitatem, easque non vult nisi ut Deo placeat; si penetrat in profundum suum nihilum. 3° Apparitiones divinæ ab initio timorem injiciunt, postea jucundæ evadunt, intellectum

superno lumine illustrant, et animum divinæ charitatis flammâ suaviter accendunt. (*n.* 140—143.)

Regulæ directionis.

240. — Quando occurrit anima communicationibus supernaturalibus donata, Director attendat ad hasce regulas, quas tradit S. Alphonsus: 1° Injungat pœnitenti ut cunctas fideliter sibi enarret; nullam tamen eas cognoscendi curiositatem ostendat, neque minutim de illis interroget. Nunquam manifestet aliis gratias supernaturales suo pœnitenti concessas; secus enim alii ejus precibus se commendabunt, eumque maximo superbiendi periculo exponent, vel, si deinde levissimum in eo intuentur defectum, multum scandalizabuntur, et contemptui eum habebunt. 2° Non ostendat hujusmodi animæ peculiarem aliquam æstimationem, multoque minus mittat alios pœnitentes ad petendum ab illâ consilium, solatium, aut directionem: potius ostendat minoris eam facere quam alias animas quæ per viam fidei incedunt; animæ namque talibus favoribus ornatæ, cum sint in viâ rectâ continendæ, regulariter loquendo, semper sunt multum humiliandæ. 3° Si advertat animam conservare humilitatem et timorem in istis communicationibus divinis, oportet eam adjuvare, et, ubi expedire videbitur, etiam securam reddere; id quippe multum conducit ad excitandam ejus gratitudinem erga Deum. Neque ex eo quod cernat Director animam identidem in aliquem defectum incidere (quoties defectus non sunt plene deliberati, neque admissi cum adhæsione et sine æstimatione), credere debet omnes istas communicationes esse deceptiones et illusiones; Dominus enim dona supernaturalia concedit non solum animabus perfectis, sed aliquando etiam imperfectis, ut liberet eas ab imperfectionibus earum, et ad vitam perfectiorem attollat. Unde, quando apparet animam ope talium communicationum in viâ perfectionis progredi, signum est eas esse bonas. Tandem monitum esse velim Directorem, gratias externas, puta visiones, revelationes, et locutiones, multo magis obnoxias esse deceptionibus et illusionibus, quam eas quæ pure spirituales sunt; quare S. Teresia et S. Alphonsus de illis asserere non dubitant plures esse

falsas quam veras. Quodsi anima earum veritatem asseveraret contra judicium Confessarii sui, pessimum esset signum, ipsaque esset omnibus modis humilianda et mortificanda; quia tunc in magno periculo versaretur ne decipiatur a dæmone. (*n.* 144.)

CAPUT VIII.

MODUS SE GERENDI IN CONFESSIONIBUS GENERALIBUS.

Confessio generalis multis ex necessitate incumbit, aliis consulitur tamquam utilis, paucis demum interdicitur veluti noxia. Tractando de confessionibus generalibus 1° exponemus earum utilitatem in genere; 2° dicemus quibusnam personis ejusmodi confessio sit necessaria, vel utilis, vel noxia; 3° trademus modum eas excipiendi; 4° subjungemus catalogum peccatorum pro examine conscientiæ.

Articulus 1.

CONFESSIONUM GENERALIUM UTILITAS IN GENERE.

241. — Ad persuadendam illam utilitatem nihil magis conducet quam gravissima testimonia allegare Sanctorum Missionariorum, Sanctorum Episcoporum, et ipsorum Summorum Pontificum. Plura horum testimoniorum congessit Benedictus XIV in Constit. *Apostolica.* 26 Junii 1749. *n.* 16. et 17.; quamobrem verba ejus referre juvabit. Tradendo saluberrimas instructiones, quibus præparandi sunt populi ad Jubilæi fructum percipiendum, n. 15 hortatur Sacerdotes, qui sacrarum Missionum ministerio incumbunt, ut pœnitentiam populo inculcent, et n. 16 et 17. ut confessionum generalium utilitatem ostendant. En totum contextum: »Qui sacrarum Missionum ministerio incumbunt, »apostolico instructi zelo, in sæculi corruptelas, quæ longe

Varia testimonia.

Benedicti XIV.

»lateque grassantur, sermonem convertant, memores ver-
»borum Isaiæ *cap.* 58: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta*
»*vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui*
»*Jacob peccata eorum.* Pœnitentiæ necessitatem indicant, ac
»ineluctabilem animæ jacturam urgeant, nisi pœnitentiæ
»ope crimina deleantur: quo pertinet illud Christi Domini,
»Lucæ *cap.* 13: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peri-*
»*bitis.* Ad hæc, divinæ misericordiæ divitias extollant, quæ
»in eos effunduntur, qui, pravis anteactæ vitæ moribus
»omnino rejectis, cor novum, novumque spiritum sibi com-
»parant. Interim vero præ oculis habeant ea Domini verba,
»Ezechielis *cap.* 18: *Convertimini, et agite pœnitentiam ab om-*
»*nibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas.*
»*Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus*
»*prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum no-*
»*vum.... Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus,*
»*revertimini et vivite.* Et *cap.* 33: *Vivo ego, dicit Dominus*
»*Deus, nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua,*
»*et vivat.*

»§ 16. Proposita virtutis pœnitentiæ necessitate, ad Sa-
»cramentum Pœnitentiæ sermonem convertant, atque hor-
»tamenta ac mónita ingeminent, ut fideles hoc saluberrimo
»muniti Sacramento, ad annum jubilæi accedant rite dis-
»positi. Hinc ad validam ac utilem peccatorum confes-
»sionem perficiendam populos erudiant; omnimodam neces-
»sitatem iterandi confessiones pridem irritas explicent;
»omnemque curam adhibeant, ut ii quoque, qui nullâ
»necessitate obstrictos se putant, ad præterita crimina in
»Pœnitentiæ Sacramento iterum manifestanda, atque ad
»generalem peccatorum confessionem instituendam facile
Benedicti XI. »inducantur. *Licet non sit de necessitate iterum confiteri eadem*
»*peccata, tamen propter erubescentiam, quæ est magna pœ-*
»*nitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio*
»*reputamus salubre*: verba sunt Prædecessoris nostri Bened.
»XI in Decretali *Inter Cunctas. de Privilegiis*, relata inter
»Extravagantes communes. Quibus consona scribit S. Ca-
S. Caroli Borromæi. »rolus Borromæus in suis ad Confessarios monitis, quæ

»Innocentius XII, Prædecessor noster, ut iis, qui Confes-
»siones audiunt, exemplo essent ac documento, Romæ
»iterum imprimenda curavit. *Confessarii*, ita loquitur S. Ca-
»rolus, *pro cujusque personæ qualitate, opportuno tempore*
»*et loco, ad generalem quamdam Confessionem pœnitentes*
»*exhortentur, ut per hanc, proposita omni præterita vita*
»*sibi ob oculos, majori cum alacritate redeant ad Dominum,*
»*ac omnes errores, qui potuissent in præcedentibus Confes-*
»*sionibus accidere, resarciant.*

»§ 17. Hanc ipsam generalium Confessionum utilitatem *S. Francisci Salesii.*
»in suorum Operum locis quamplurimis S. Franciscus Sa-
»lesius commendat. Præcipua vero sunt, multamque re-
»dolent suavitatem verba illa, quæ ex epistola ad Viduam
»Matronam data hic repetimus, e Gallico sermone Latine
»reddita: *Accepi litteras a Patre tuo, quibus a me postulat,*
»*ut aliquid, quod animæ saluti profuturum sit, illi aperiam.*
»*Lubens et facilior fortasse quam par est, votis annuo. Quæ*
»*illi trado monita, ad duo revocantur capita. Alterum est,*
»*sedula ac universalis anteactæ vitæ discussio, quam generalis*
»*Confessio, et par pœnitentia sequatur. Hoc enim illud est,*
»*quod nemo vir ingenuus ante obitum negligit. Alterum in eo*
»*versatur, ut paulatim a mundi illecebris animum studeat*
»*avellere.* Ejusmodi epistolæ exemplum inscritur *tom. I*
»*illius operum* editionis Parisiensis anno 1669. *pag.* 914. *n.* 6.
»In vita S. Vincentii a Paulo, Fundatoris Congregationis *S. Vincentii a Paulo.*
»Missionis, italice scripta, multis agitur de fructu, qui a
»generalibus Confessionibus, occasione sacrarum Missionum,
»percipitur. Hinc memoratæ Congregationis regulæ, ab
»Apostolicâ Sede probatæ, inter cætera Instituti ministeria
»illud enumerant, *Confessiones generales totius anteactæ vitæ*
»*suadere et excipere.* Eòdem pertinent verba Urbani VIII *Urbani VIII.*
»relata in Bullâ, quæ incipit: *Salvatoris nostri*, qua In-
»stitutum præfatæ Congregationis confirmatur; ita namque
»generalium Confessionum usum ac utilitatem commendat:
»*Ex quorum felicibus successibus* (operum scilicet ac minis-
»teriorum, quæ Congregationis Instituto propria sunt ac
»particularia) *evidenter apparet, hoc pium Institutum Deo*

»*acceptissimum, hominibus vero utilissimum, prorsusque neces-*
»*sarium esse: ex eo enim, licet non multo abhinc tempore, rarus*
»*antea Confessionum sacramentalium, etiam generalium, et*
»*Sanctissimæ Eucharistiæ usus, frequens per Dei gratiam fac-*
Innocentii XII. »*tus est.* Hinc Prædecessor noster Innocentius XII secum
»reputans graviores defectus, qui ex irrito præteritarum
»Confessionum usu possunt occurrere; in ea, quam post
»indictum Jubilæi annum evulgavit Instructione, hisce
»verbis a Nobis latine redditis, quemlibet peregrinorum
»hortatur, ut ante discessum universa anteactæ vitæ cri-
»mina iterato aperiat in foro sacramentali: *Discessurus*
»*validam ac generalem Confessionem præmittat; ac moneatur,*
»*ut, hac oblata occasione, id non negligat: ut nimirum medea-*
»*tur languoribus, quibus Confessiones pridem habitæ fortasse*
»*laborant.* Sane conscientiarum moderatores uno ore con-
»veniunt, multam ex generalium Confessionum usu percipi
»utilitatem. Ita namque universa vitæ ratio animo obver-
»satur: ex quo hominis timor ac humilitas, major in pec-
»catum horror insurgit; augentur vires, ut quidquid ad
»malum provocat, propulsetur; jucundissima pax et tran-
»quillitas animo accedit; et quæ præteritis Confessionibus
»illata sunt damna sarciuntur."

Direct. in exercit. S. Ignatii. 242. — De utilitate Confessionis generalis hæc tradit *Directorium in exercitia spiritualia S. Ignatii. cap.* 16. compositum ab aliquot Patribus Societatis Jesu, et editum a Præposito Generali Claudio Aquaviva: »Si nulla alia esset
»(utilitas), hæc certe satis esse deberet, quod experimur
»homines plerumque, aut sine examine sufficienti, aut sine
»debito dolore, nullo vel valde infirmo melioris vitæ
»proposito ad Confessionem accedere; ac propterea ad
»consequendam pacem conscientiæ, et ad tollendos scru-
»pulos, qui si non antea, saltem in puncto mortis animam
»excruciare, et in periculum salutis æternæ adducere solent,
»multum prodest semel se ab omnibus anteactæ vitæ pec-
»catis abluere."

Ven. P. Segneri. Similia tradit Ven. P. Segneri hisce verbis: »Optimum
»et saluberrimum est consilium universam vitam suam

»relegere atque lustrare, saltem semel, per Confessionem »generalem, ac dein per certa intervalla temporis, velut »post unius anni spatium, vel etiam sæpius, ducto initio »a proximâ, conscientiæ suæ rationes trutinando. (1) Fruc»tus hujus operis est, non solum, quod, cum sub unum »aspectum statuuntur labes omnes et maculæ, major con»sequatur confusio et erubescentia, fortiori animus com»pungatur aculeo, magisque sese humiliandi studio afficia»tur, verum etiam, quia timor divinæ justitiæ vehementer »augetur, cum recentia delicta præteritis aggesta veluti in »acervum montis instar excrevisse conspiciuntur, ut in »veritate cum Esdra cogatur suspirare: *Delicta nostra cre»verunt ad cælum.* (Esdr. IX. 6.) Deinde quis non videt »absque tali Confessione difficulter obtineri conscientiæ »tranquillitatem, felicitatem sane inæstimabilem, relicto »alioquin perpetuo remorsu ac dubio, nec sine fundamento, »præsertim si frequentes relapsus ex defectu debitæ ad »Confessionem dispositionis provenerunt. O quot Confes»siones judicantur validæ, nec tamen in veritate sunt!" (*Instruct. pœnit. cap.* 16.)

Non minus S. Alphonsus eamdem suadet; scripsit enim: *S. Alphonsi.* »Unumquemque hortor ut, nisi adhuc fecerit, peccata »omnia, quæ unquam in sua vita commisit, confiteatur: et »non solum pro illis loquor, qui sacrilege confessi sunt »aliqua peccata omittentes, aut qui invalide confessi sunt, »quia debitum examen non fecerunt, aut verum non ha»buerunt dolorem; verum etiam de unoquoque, qui ad »bonam vitam se recipere velit. Ad hoc Confessio generalis »plurimum prodest." (*Instit. catech. part.* 2. *cap.* 5. *n.* 11.) Utilitates hujusmodi Confessionis paucis recenset in *Vera Sponsa. cap.* 18. § 2.

(1) Id est: juvat per certa intervalla temporis omnes illius intervalli repetere Confessiones.

Articulus II.

QUIBUS CONFESSIO GENERALIS SIT NECESSARIA, UTILIS, VEL NOXIA.

Quibus necessaria est.

243. — **Necessaria** est, quoties invalidæ præcesserunt confessiones, sive per totam fere vitam, sive per diuturnum tempus. Invalidas autem fuisse confessiones potest evenire 1° *ob ignorantiam*, cum pœnitentes ignorant, sive culpabiliter sive inculpabiliter, ea quæ necessario credenda sunt necessitate medii; vel cum gravi suâ culpâ neglexerunt discere ea, quæ sub gravi præcepto tenentur scire, nimirum si pluries admoniti de obligatione illa discendi nullatenus curarunt eam implere. 2° *Ob neglectum examen conscientiæ*, quando notabilem admiserunt negligentiam in examinandâ propriâ conscientiâ, idque bene noverunt. 3° *Ob defectum sinceritatis*, si deliberate reticuerint grave aliquod peccatum, vel numerum minuerunt, aut necessariam circumstantiam omiserunt. 4° *Ob defectum doloris et propositi;* qui casus multoties evenit, puta quando verum peccatorum suorum dolorem non elicuerunt; quia e. g. ex solo respectu hominum confessi sunt; quando requisitum defuit propositum non amplius peccandi, deserendi occasiones proximas, restituendi famam graviter læsam, bona injuste possessa, condonandi offensas et se reconciliandi; aut quando talia se exsecuturos esse promiserunt Confessario, sed non ex animo, et ideo exsequi omiserunt; quando voluntarie retinuerunt habitum peccati mortalis, quia post confessiones suas sine luctamine et nullo adhibito medio statim relapsi sunt.

Tempore Missionum.

244. — De frequenti necessitate reparandi confessiones sacrilegas tempore sacrarum Missionum audiri meretur expertus S. Alphonsus, qui sic monet Missionarios: »Quum »præcipua Missionum utilitas consistat in reparandis con»fessionibus sacrilegis, oportet in singulis instructionibus »in hanc rem insistere, demonstrando quanta sit sacrilegii »malitia et quot animæ pereant propter peccatorum reti-

»centiam in confessione. Experientia docti sumus multas »esse personas, quas verecundia eo usque occupat, ut, »etiamsi apud Missionarios confiteantur, tamen pergant »peccata sua reticere. Sed, si qua persona intra Missionem »non reparet confessiones suas male factas, annon interibit? »Etenim, si in confessione apud Missionarium non vicit »verecundiam, quomodo vincet eam postea apud Confes»sarium loci? En rationem, propter quam, sicut dictum »est, oportet jugiter hoc punctum inculcare." (*Silva. part.* 3. *cap.* 6.) Ob eamdem rationem vehementer exoptat ut tempore Missionis Confessarii loci abstineant ab auditione confessionum et confessionalia sua concedant Missionariis; cum enim pœnitentes vident Confessarium suum ordinarium in confessionali sedentem, non audent adire extraneum, et pergunt sacrilege confiteri. Et notetur, non raro contingere ut personæ, in quas minima cadit suspicio, maxime indigeant libertate confessionis. (*Loc. cit. cap.* 10.)

Monita practica. Pro casu ignorantiæ.

245. — Superest ut monita quædam practica adjiciamus. 1° Non raro evenit ut Confessarius necessariam ducat confessionem generalem, pœnitens vero eam necessitatem non apprehendat; quo casu pœnitens de suâ obligatione monendus vel non monendus erit, juxta regulas de monitione faciendâ aut omittendâ; ignorata namque præteritarum confessionum nullitas non obstat valori confessionis præsentis bonâ fide et rite factæ, et unâ confessione validâ indirecte remittuntur peccata præterita, quæ tum solum repetenda erunt, cum conscientia dictaverit. Cæterum, quando pœnitens moneri nequit, prudens Confessarius quibusdam quæstionibus rudi modo supplere poterit; imo, si pœnitens interrogationes non ægre ferat, callide poterit totam confessionem generalem expiscari; sed tunc debet peractam confessionem generalem pœnitenti ante absolutionem notificare. — 2' Contingit quoque ut post unam aut plures confessiones sacrilegas pœnitens deinceps earum obliviscatur, et incipiat bonas facere confessiones, sacrilegis nondum reparatis; quod præcipue in pueritiâ evenit. Hoc in

Pro casu oblivionis.

casu confessio generalis necessaria tantum erit pro confessionibus sacrilegis. (*n.* 22.)

Quibus utilis est.

246. — **Utilis** est confessio generalis: 1° regulariter omnibus adultis, qui eam nondum fecerunt. 2° Iis imprimis, quorum confessiones anteactæ dubie validæ censentur, dubio nempe rationabili, e. g. propter frequentes relapsus. 3° Iis, qui novam vivendi rationem instituere volunt, puta recens conversis; nam non solum utilis erit pro emendandis defectibus in præteritis confessionibus commissis, sed multum conducet ad vitam melius instituendam. 4° Ante susceptionem statûs vitæ, videlicet ante matrimonium, ante Sacerdotium, ante professionem religiosam. 5° Tempore Jubilæi, vel sacræ Missionis, aut spiritualium exercitiorum; hæc enim tempora ad dignos fructus pœnitentiæ faciendos destinata sunt. 6° Iis, qui in periculo mortis exsistunt, si vires suppetant, aut qui periculum mortis adire debent. — Confessione generali totius vitæ in maturâ ætate bene peractâ, quiete licebit vivere, et confidenter opperiri mortis adventum. Quare non facile acquiescendum est, si postea petant novam generalem facere confessionem; sed optimum erit consilium omnes repetere confessiones peractas a tempore confessionis generalis, vel a tempore præcedentis Missionis, aut singulis annis omnes illius anni confessiones repetere, uti mos est in Religiosis Familiis.

Facile admittatur.

Confessarius igitur libenter assentiatur pœnitentibus, qui rationabiliter petunt confessiones totius vitæ vel alicujus vitæ spatii repetere; et statim quidem eam excipiat, si pœnitens paratus est, et nihil obstat, e. g. turba pœnitentium. Ita S. Alph. *II. A. append. IV.* § 1. *n.* 15. Subinde evenit ut confessio generalis, quæ initio utilis putabatur, intra confessionem necessaria appareat. E converso, confessio generalis, si necessaria non sit, invito non est obtrudenda, ut monet S. Alphonsus in *Praxi Conf. n.* 20 *in fine.*

Quibus nociva est.

247. — **Nociva** est confessio generalis: 1° scrupulosis, imo et personis nimis timoratis; in hisce namque talis confessio, si semel eam peregerint, plures scrupulos generat

quam destruit. »Scrupulosi, inquit S. Alphonsus, indesi»nenter facere et repetere vellent confessiones generales, »anxietatum suarum sedationem inde sperantes. Sed malum »inde potius accrescit; post quamlibet enim confessionem »generalem novi angores novique scrupuli nascuntur, eo »quod peccata aliqua se non exposuisse aut non rite ex«posuisse timeant, ita ut anxietas intantum ingravescant »inquantum Confessiones reiterantur.... Quando quis semel »peregit confessionem generalem, non expedit eam redin»tegrare." (1) Caveat igitur Confessarius ne a scrupulosis se seduci patiatur; id unum ipsis permittere potest, ut nempe exponant id quod conscientiam angit; deinde eos doceat, defectus, si qui fuerint, actu contritionis sanari. 2° Iis præsertim, qui peccatis carnalibus multum irretiti fuerunt, si quæ inclinatio superesset necdum penitus exstincta; hisce namque distincta recordatio ac commemoratio istorum peccatorum vitæ præteritæ valde periculosa est; timendum quippe est ne dæmon novis tentationibus eos involvat. Unde isti, peractâ semel eorum peccatorum confessione generali, non amplius eorumdem meminerint, neque confiteantur de illis, nisi generatim, ut ea detestentur. 3° Nonnullis occasionariis ac recidivis, qui non sunt vere dispositi, et interdum confessionem generalem petunt, quo facilius absolutionem aucupentur. Isti se produnt modo, quo de peccatis ab ultimâ confessione commissis se accusant; quapropter monendi sunt ut occasionem relinquant ac pravum habitum strenue impugnent, postea generalem confessionem instituant (2). 4° Summopere improbanda est praxis nonnullorum Confessariorum, qui, audito semel iterumque aliquo aut aliquâ novâ pœnitente, mox illum inducunt ad confessionem generalem sibi faciendam, ducti aut zelo imprudenti, aut specie hauriendæ melioris notitiæ conscientiæ, ut commodius animas regant. Improbanda quoque est praxis eorum Confessariorum, qui aures præbent pœnitentibus volentibus sæpius peragere confessiones gene-

(1) Vera Sponsa. cap. 18. § 2. — (2) Marc. Instit. mor. n. 1712.

rales totius vitæ, aut certe quoties novum Confessarium nanciscuntur. Ejusmodi enim confessiones generales prorsus inutiles sunt et jactura temporis.

Articulus III.

MODUS EXCIPIENDI CONFESSIONEM GENERALEM.

Diligenter excipiatur.

248. — Ante omnia juvat saluberrima monita referre, quæ tradit citatum *Directorium in exercit. spirit. cap.* 16: »Etsi cavendum est a nimiâ anxietate in faciendâ hâc »confessione, ne semper deinde maneant scrupuli ac reli»quiæ, ut quibusdam contingit: tamen ex altera parte »studendum et conandum est, ut ita diligenter atque ac»curate fiat, ut postea secura esse possit anima se fecisse »quod in se erat: nam sine hoc nunquam frui poterit »illâ pace animi et tranquillitate conscientiæ, quam dixi»mus. Ideo, præter proprium studium et diligentiam ipsius »qui Exercitia suscipit, juvandus est etiam aliquâ viâ et »methodo, nempe Directorio aliquo ad bene confitendum."

Porro, quod methodum attinet, quædam a Confessario observanda sunt ante confessionem, quædam intra illam.

Indagentur confessiones præteritæ.

249. — I **Ante Confessionem.** Cum quis confessionem generalem instituere petit, Confessarius statim exploret utrum talis confessio sit necessaria, utilis, an vero nociva. Hunc in finem non expedit pœnitentem abrupte rogare an aliquod peccatum reticuerit, vel quid simile; facile namque continget ut pœnitens reus sed turbatus neget, et postea retractare non audeat. Quare proderit petere a pœnitente quænam ratio eum impellat ad confessionem generalem faciendam, an quid eum angat, etc. Hisce et similibus quæstionibus nitatur suaviter et sagaciter expiscari num forte sacrilegia lateant. Confessario sciscitanti pœnitens sæpe unum ex sequentibus responsis dabit: 1° *Quia peccata mea celavi;* tunc Confessarius statim animum addat illi, benignum se erga ipsum fore promittat, eumque ad plenam sinceritatem adhortetur. 2° *Confessionem generalem*

nunquam peregi; tunc sedulo examinet utrum necesssaria, an utilis tantum videatur. 3° *Feci*, *sed non bene;* tunc quærat quare non bene fecerit. Si pœnitens nullum præter anxietatem determinatum motivum allegare queat, scrupulositatis suspicionem ingerit. 4° *Ex concionibus intellexi confessiones meas fuisse malas;* tunc procedat ut supra. Notetur autem, tempore Missionis pœnitentes aliquando rem exaggerare. 5° *Intendo melius vivere;* tunc certe perutilis erit.

Suadetur præparatio.

Quod attinet deinde ad tempus, quo confessio generalis opportunius fiat, distinctione opus est. *a*) Si confessio est utilis tantum, et pœnitens nondum præparatus, omnino expedit ut per aliquot dies sese præparet per examen conscientiæ, doloris excitationem, et præcipue per orationem; hoc modo enim uberiores fructus ex tali confessione percipiet, et ferventioris vitæ solidum ponet fundamentum. Interim Confessarius doceat pœnitentem confessionem generalem non esse opus difficile, siquidem ipse libenter eum adjuturus est. Quodsi pœnitens commode redire nequeat ad eumdem Confessarium, apud quem generaliter confiteri cupit, absque dilatione ejus confessio excipienda est. *b*) Si confessio generalis necessaria est, eadem præparatio magis exoptanda est; attamen quoties periculum subest ne pœnitens non sit rediturus et confessionem generalem sit neglecturus, oportet statim eam excipere. Hoc autem periculum multoties aderit.

Nota. Consulendum non est ut confessiones generales totæ scribantur; nam ordinarie confusio in illis reperitur; scriptæ tamen, si de utili tantum confessione generali agatur, acceptari possunt a Confessario et legi; si de necessariâ agatur, pœnitens eam legere poterit. Permitti vero potest ut præcipua capita confessionis scribantur; hoc enim juvat ad ordinem et memoriam. Deinde caute utendum est catalogis peccatorum, qui in libris precum inveniuntur, sub nomine *Speculi Confessionis;* nam plerumque peccata mortalia a venialibus ibi non discernuntur.

250. — **Intra Confessionem.** 1° Confessioni generali regu-

Præmittenda confessio particularis. lariter præmittenda est confessio particularis peccatorum ab ultimâ confessione commissorum, ut Confessarius sic melius dignoscat statum pœnitentis, videatque num quid obstet absolutioni, nam hoc casu confessio generalis excipienda non est.

2° Ubi incipit confessio generalis, Confessarius statim sciscitetur ea, quæ confessionem faciliorem reddent, prout in Articulo subsequenti proponetur.

Juvandus est pœnitens. 3° Si pœnitens est instructus et paratus, potest ipsemet, si cupit, exponere peccata sua, adjuvante Confessario quoties opus fuerit. Ordinarie vero præstat, et Confessario minus grave erit, si Confessarius ipse interrogando totam confessionem generalem perficiat, idque, si de hominibus rudioribus agitur, communiter etiam pœnitentibus gratius erit.

Accuratio adhibenda. 4° Si confessio generalis est necessaria, eo quod confessiones anteactæ sacrilegæ aut invalidæ fuerint, illa accurate excipienda est, perquirendo species et numerum peccatorum quantum fieri potest, perinde ac si peccata nunquam declarata fuissent. Si vero confessiones præcedentes non apparent certo invalidæ, ejusmodi accuratio non postulatur; idcirco, si magnus sit pœnitentium concursus et confessio generalis ad opportunius tempus differri nequeat, ut accidit in Missionibus, curet Confessarius saltem summatim excipere illam, tantummodo exquirendo species, et tempus peccatorum habituatorum, quin immoretur in exquisitione numeri et circumstantiarum particularium: aut certe indulgeat pœnitenti exonerare conscientiam suam, atque adeo dicere quæ cupit, ut pacatus recedat; deinde in genere ab ipso quærat: »Nonne te accusas de »omnibus pravis cogitationibus, verbis, etc.?" (*H. A. append.* IV. § 1. *n.* 15. *Silva. part.* 3. *cap.* 10.) Propterea in confessione generali non necessariâ pœnitentem monere expedit, *obligationem* omnia peccata accusandi non adesse; attamen a nimiâ brevitate aut quâdam præcipitantiâ Confessario etiam abstinendum est; secus ipse pœnitens non tranquillus, sed inquietus redditur, unde non semel con-

Præcipitatio vitanda.

tingit ut pœnitentes postea conquerantur se non omnia dicere potuisse, eo quod Confessarius nimis cito rem expedire voluerit. (Lehmkuhl. *n.* 346.)

Ordo servandus.

5° Confessarius, si ipse interrogando excipiat confessionem, ordinatim procedat, secundum ordinem Decalogi, præceptorum Ecclesiæ, et officiorum statûs. In eo autem huic ordini derogare expedit, quod incipiat a sexto Decalogi præcepto; quia hujus materia solet esse uberior et manifestatu difficilior; quare, hisce peccatis expositis, cor pœnitentis multum allevari, et reliqua confessio facilior reddi solet; deinde præcepta Ecclesiæ commode revocantur ad tertium, et officia statûs ad quartum Decalogi præceptum.

Consultum non est confessionem dividere in partes juxta ordinem epocharum vitæ; quia confessionem prolixat: in solâ materiâ sexti præcepti conducit seorsum rogare peccata commissa ante matrimonium, stante matrimonio, et in viduitate. Tandem pœnitentes, qui protinus examinari possunt de actibus consummatis, post singulas horum species simul examinandi sunt de actibus imperfectis tam internis quam externis circa eosdem.

Sinceritas excitanda.

6° Non omittat Confessarius pœnitentem animare ad magnam sinceritatem, ne quid verecundiâ occupatus reticeat.

Articulus IV.

CATALOGUS PECCATORUM.

De quibus interrogandum sit.

251. — Trademus primò interrogationes quasdam prævias, deinde secundum præcepta Decalogi. De modo porro interrogandi, et de interrogationibus circa officia statûs consule n. 33-47. Meminerit Confessarjus interrogandum esse de peccatis probabiliter commissis a pœnitente; unde, juxta hujus conditionem et responsa, vel multæ ex sequentibus interrogationibus erunt omittendæ, vel aliæ addendæ. Quod ad habitus peccatorum attinet, resciendum est a

pœnitente quo tempore incœperint et quanto tempore duraverint.

INTERROGATIONES PRÆVIÆ.

1° Circa ætatem, vitæ statum seu matrimonium, et professionem.

2° Circa confessiones præteritas. Si pœnitens sacrilegia confitetur nondum reparata, Confessarius statim examinet totam eorum seriem. Idcirco roget quo tempore primâ vice peccata reticuerit, et quamdiu; an confessiones sacrilegas postea reparaverit; quoties in illo statu per annum solitus fuerit confiteri et communicare; an sciat se talibus confessionibus et Communionibus etiam præceptum paschale non implesse; an toties quoties confitebatur et communicabat, sacrilegii memor fuerit; an illo tempore alia insuper Sacramenta susceperit, e. g. Confirmationem, Matrimonium, Extremam Unctionem. Si pœnitens initio negaverit confessiones sacrilegas, et tamen aliqua suspicio subsit, admodum proderit si Confessarius intra confessionem, puta in examine de sexto præcepto, audiens aliquod gravius peccatum, blande roget: »Et hoc fortasse nun»quam es confessus, nonne?" Vel: »Non es ausus hoc »confiteri, nonne?"

CIRCA 6^{um} ET 9^{um} PRÆCEPTUM.

Conetur Confessarius ab initio generaliter cognoscere statum pœnitentis, quærendo: »An in juventute forte se»ductus es? Quâ ætate? An habuisti pravos habitus con»tra castitatem? Num tactus, an pejora?" Si apparet pœnitentem esse reum, procedat ulterius; secus transeat ad alia præcepta.

Peccata luxuriæ consummatæ ad quatuor species revocari possunt, scilicet ad pollutionem, fornicationem, sodomiam, et bestialitatem. Istæ species habent etiam actus imperfectos tum externos, uti tactus, tum internos, nempe delectationes morosas et desideria, et insuper habere pos-

sunt tres circumstantias speciem mutantes, videlicet adulterium, incestum, et sacrilegium. Secundum illas species Confessarius ordinet suas interrogationes, simulque inquirat de singulis an accedat circumstantia mutans speciem, et an accedant actus imperfecti separati.

I. *Circa pollutionem.* An habuisti habitum te polluendi? per quantum tempus? an ista peccata confessus es? an adhuc habes illum habitum? annon simul habebas desideria peccandi cum aliis? an sæpe habuisti tecum tactus impudicos sine pollutione? an sæpe consensisti cogitationibus, desideriis? an in matrimonio habitus iste perseveravit? an turpiloquia frequenter habuisti?

II. *Circa fornicationem.* An peccasti cum aliis? cum personis alterius sexûs? manibus, aut aliter? an fecisti actum matrimonii? an sic ut proles inde nasci potuisset? an inde proles non est secuta? quare putas id non contigisse? annon prava consilia dedisti (si puella: accepisti) circa hoc? an lupanaria adiisti? Interrogentur pœnitentes insuper de adulterio, de incestu; item de actibus imperfectis tactuum, aspectuum, desideriorum.

III. *Circa sodomiam.* Annon fecisti turpia cum personis ejusdem sexûs? an tactus, an quid pejus? An sæpius desiderasti? Post fœdum aliquod peccatum iterum quæratur: Et hoc forte non es ausus confiteri?

IV. *Circa bestialitatem.* An etiam pejora fecisti? Quænam? an animalia nunquam tibi fuerunt occasio tentationum? an tactus, an pejora?

Postmodum, si pœnitens conjugatus est, opportune examinatur de peccatis conjugum inter se: An nil remordet conscientiam circa convictum in matrimonio? An castitatem conjugalem non læsisti? Quot habes liberos? An actum conjugalem complesti uti fieri debet? Uxor: Annon es questa de numero liberorum?

V. *Peccata imperfecta.* Quando peccata consummata in pœnitente non reperiuntur, statim transeundum est ad non consummata.

1° *Interna:* An cogitationes et motus impuros habuisti

cum voluntariâ complacentiâ? An turpibus desideriis consensisti? Qualia fuerunt?

2° *Externa:* An colloquia lasciva habuisti, aut audisti malo fine? An cecinisti cantilenas lascivas? An libros impudicos legisti, aliasve impuras lectiones fecisti? An obtutus in objecta inhonesta fixisti cum affectu libidinis? An impudice tetigisti teipsum aut alium? An peccasti osculis et amplexibus? an cum personis conjugatis, cognatis?

VI. *Pericula castitatis.* 1° An dedisti aliis occasionem peccandi per vestitum indecentem, per denudationes, per libros mutuo datos, per imagines lascivas, eas ostendendo malo fine, per litteras amatorias, per excitationes ad libidinem, adeundo cum sociis lupanaria, etc.? 2° An adiisti occasiones peccandi, puta choreas inhonestas, theatra, pravos libros et prava diaria, societates, procationes, cohabitationem cum personâ peccatorum sociâ, etc.

CIRCA 1^um^ PRÆCEPTUM.

1° *Contra fidem.* Si pœnitens videtur ignorans, si orationem, Missam et conciones neglexit, interrogandus est an calleat principalia fidei mysteria. Cæterum rogetur: An de aliquâ veritate fidei serio dubitasti? an de Deo ac rebus divinis opinionem non bonam habuisti? An unquam veritatem fidei negasti, et an hæresim protulisti?

2° *Contra spem.* An desperasti de tuâ salute, de vitæ emendatione, peccatorumque remissione obtinendâ a Deo? An pœnitentiam distulisti usque ad senectutem aut mortis horam?

3° *Contra charitatem.* An unquam in impetu passionis odium in Deum concepisti? Annon per longum tempus Dei penitus oblitus fuisti? An, spreto cœlo, finem ultimum non posuisti in præsentibus voluptatibus? An contra Deum non murmurasti?

4° *Contra religionem.* a) *Irreligio.* Annon colloquia impia instituisti de rebus religionis? an coram multis? an

libros impios legisti, aliis tradidisti? an diaria liberalia aut socialistica legis? an actiones impias contra religionem commisisti? b) *Superstitio.* An superstitiones exercuisti? an unquam dæmonem invocasti, expresse sive tacite, spiritismo, hypnotismo? an divinos consuluisti? num seriò? an remedia superstitiosa adhibuisti? c) *Sacrilegium.* An Sacramenta indigne suscepisti? Sacerdotibus injuriam intulisti? res aut loca sacra profanasti?

CIRCA 2^um^ PRÆCEPTUM.

An *blasphemias* protulisti? an coram filiis? An falsum *jurasti?* in judicio, et cum damno proximi? an illicita jurasti? an habes consuetudinem jurandi? An fecisti aliquod *votum*, quod non implevisti?

CIRCA 3^um^ PRÆCEPTUM.

1° *Missa.* An culpabiliter omisisti audire Missam, aut integram Missam, in die festo? An audiendo Missam valde irreverenter indecenterque te gessisti? 2° *Opera servilia.* An sine necessitate ejusmodi opera peregisti? aliis imposuisti? an diu? an publice cum scandalo aliorum? 3° *Jejunium et abstinentia.* An jejunia ecclesiastica violasti? cur? an sine permissione usus es cibis vetitis? an alios etiam induxisti? 4° *Confessio et Communio annua.* An eas omisisti? an pœnitentiam impositam neglexisti?

CIRCA 4^um^ PRÆCEPTUM.

I. *Liberi et famuli.* 1° *Contra obedientiam.* An pertinaciter renuisti obedire in re gravi? (e. g. circa procationes, nocturnas compotationes, pravos socios, officia religiosa, res domesticas gravis momenti.) 2° *Contra amorem.* An parentes vel heros odio habuisti? gravia mala eis precatus es? mortem desiderasti? graviter contristasti eos? an negasti sustentare parentes in necessitate? 3° *Contra reverentiam.* An eos ex animo contempsisti? an verbis

injuriosis allocutus es? an aspere tractasti? minatus es? percussisti? 4° *Contra justitiam.* Famuli præsertim interrogentur an hero fidelitatem servarint, damna intulerint, ipsum defraudarint?

II. *Parentes et Superiores.* 1° *Contra amorem.* An injuste unum ex filiis tuis odisti? An seriò eis imprecatus es? eos durius tractasti? An ebrietatibus bona familiæ non dilapidasti? 2° *Contra bonum exemplum.* Annon scandalo fuisti filiis tuis, e. g. coram filiis liberius loquendo, mala opera patrando? 3° *Contra correctionem.* An filiis invigilasti? An male agentes punivisti? An tolerasti ut pravos socios frequentarent? familiaritatem periculosam cum diverso sexu, procationes solitarias? An eos in doctrinâ et vitâ christianâ instituisti? annon ad pravas scholas misisti? 4° *Contra justitiam.* An matrimonium liberorum injuste impedivisti? An debitam mercedem famulis et operariis solvisti?

III. *Conjuges.* 1° *Contra amorem.* An cum conjuge pacifice vixisti? an peccasti per graves imprecationes, convicia, rixas, sævitias? an filios ad compartem contemnendum excitasti? 2° *Contra societatem.* An officium cohabitationis debito modo servasti? annon diutius abfuisti? 3° *Contra obedientiam.* Uxor interrogetur: An marito fuisti morigera in rebus domesticis? annon vitam mariti molestam reddidisti arrogantiâ et turbulentiâ? an curam domûs neglexisti? an fuisti obediens in officio conjugali?

CIRCA 5^um^ PRÆCEPTUM.

An aliquem odio prosecutus es? an vindictam cogitasti? an cuipiam grande malum optasti? aut de eo gavisus es? an rixas concitasti, aliquem graviter percussisti aut vulnerasti? an satisfecisti ei, quem læsisti? an tibi ipsi nocuisti? malum imprecatus es? de suicidio deliberasti? an ebrietati indulsisti? num perfectæ? an negasti eleemosynam pauperibus gravi necessitate laborantibus?

Circa 7um et 10um præceptum.

An habuisti voluntatem quidpiam furandi, aut proximum fallendi? aut furto aliquid sustulisti? an mendaciis aut fraudibus quidpiam lucratus es, e. g. in vendendo aut emendo, aut in aliis contractibus? an debita solvisti? an solvere non nimium distulisti? an litem injuste alicui intendisti? an damnum injustum intulisti bonis proximi tui? an restitutionem faciendam promisisti, at neglexisti?

circa 8um præceptum.

An mentitus es cum gravi damno proximi? an falsum testimonium dixisti contra proximum in judicio? an secretum violasti in re gravi? an famam proximi læsisti, revelando delictum occultum? an narrasti coram pluribus? an damna inde secuta reparasti?

CONCLUSIO.

Adhortatio pœnitentis.

252. — Peractâ confessione, pœnitens interrogetur num aliud quid habeat, quod conscientiam mordeat, et Confessarius non rogaverit; excitetur ad confitendum ac si ultima confessio esset. Deinde paterna exhortatione et efficacibus motivis ad contritionem peccatorum inducatur et ad firmum propositum cavendi abhinc ab omni peccato mortali; dicat illi: »Gratias maximas Deo age, amice, pro »tantâ tibi exhibitâ misericordiâ; si tempore, quo tot tan»tisque peccatis onustus vixisti, mors te præoccupasset, vide »quantam damnationem incurrisses. Nunc esto prorsus »quietus, nec unquam de hisce peccatis angaris; omnia ab»solvam; anima tua hodie alba erit sicut in die quâ bap»tizatus es; sed cave ut tantæ Dei misericordiæ respondeas; »cave ne iterum te peccatis coinquines," etc. Non omittat Confessarius hâc occasione consilia salutaria pro vitæ emendatione, prout opus videbitur, pœnitenti suggerere; maxime vero conducet unum alterumve ex confessis vitiis seligere,

atque ad illud debellandum tum exhortari efficaciter, tum aptis etiam mediis armisque pœnitentem instruere; quem in finem si suas etiam illi preces Confessarius spoponderit, non modice sane illum in Domino recreatum dimittet.

CAPUT IX.

DE SACRIS MISSIONIBUS.

Earum relatio ad Confessionem.

253. — Lector forsan quæret quam connexionem sacræ Missiones habeant cum practica institutione Confessarii? Cui incunctanter respondemus: multam omni modo; quoniam Missiones ab idoneis Missionariis rite traditæ illud cumprimis operantur, quod multæ Confessiones sacrilegæ reparentur, et multæ imposterum præcaveantur. Quapropter hoc Caput addendum esse censuimus ad practicam instructionem eorum Confessariorum, qui simul sunt Pastores animarum, ut persuasum sibi habeant se multorum sacrilegiorum et fortasse complurium ovium suarum damnationis causam evadere, nisi identidem Missionem gregi sibi commissæ procurent. Pastores animarum, qui hanc veritatem inficiarentur vel exaggerationis insimularent, argumentum sane præberent se gregem suam male cognoscere, se ignorare fragilitatem humanam in confitendis peccatis, quæ hominem rubore suffundunt, iisdemque manifestandis Confessario, cui bene noti sunt et quo multum uti debent. Veritatem istam testati sunt sancti quique Missionarii, e. g. S. Alphonsus, S. Vincentius a Paulo, Ven. P. Segneri, etc., eamque omnes Missionarii experiuntur. »Si Missiones, in»quit S. Alphonsus, non alium fructum ferrent, quam re»parationem tot Confessionum sacrilegarum, quas peragunt »viri et mulieres peccata sua ex rubore reticendo, mulieres »quidem præcipue utpote magis pudibundæ, hoc solum »sufficeret ad magnopere exoptandas Missiones. Ingens illa »Confessionum sacrilegarum calamitas frequentior est in »parvis locis, sive quia pauci ibi sunt Confessarii, et fami»liares sunt, sive saltem quia locum incolunt et continue

»conspiciuntur: repugnantia, quam pœnitentes experiuntur »ad revelandas suas miserias istis Confessariis, impellit il- »los ad reticenda sua peccata, et sic sacrilegia commit- »tenda per totam vitam; imo non desunt, qui detestabili »isto rubore præoccupati, etiam in mortis articulo ultima »Sacramenta recipiant absque declaratione peccatorum suo- »rum. Unde reparatio tot Confessionum male factarum »fructus est maximus Missionum; etenim, cum Missionarii »extranei sint, qui pœnitentes non cognoscunt et mox sunt »abituri; cum præterea conciones Missionum peccatores »salutari timore perculerint, facile decernunt conscientiam »suam perpurgare declarando omnia sua peccata." (1) Idip- sum S. Doctor variis in locis sæpe repetit. Consonat Ven. P. Segneri, qui scripsit: »Certum est, præcipuum Missio- »num lucrum et operæ pretium reportari ex isto homi- »num genere: quamquam hi fructus nobilissimi, instar »metalli sub terrâ, procul ab hominum oculis remoti, »æternò lateant Sacramenti sigillo occlusi." — Recole dicta n. 31. et 244.

Alii Missionum fructus.

254. — Præter laudatum lucrum multi sunt alii fructus præcellentes, quos Missiones producunt. »Certum est, in- »quit S. Alphonsus, inter beneficia, quibus Deus homines »cumulat, conversionem populorum esse maximum. Doctor »Angelicus ait, donum gratiæ, quâ Deus justificat pecca- »torem, majus esse quam si beatitudine gloriæ ipsum donaret. »Atqui conversio peccatorum ille ipse est scopus, quem »Missiones prosequuntur; instructionibus namque et con- »cionibus Missionis illuminati, agnoscunt malitiam peccati, »magnum momentum salutis, et bonitatem Dei; tunc corda »eorum mutantur, vincula pravorum suorum habituum »rumpunt et vitam christianam ingrediuntur." (2) Hisce mediis ad convertendos peccatores adde preces, Rosarii præsertim, quæ diebus Missionum funduntur, atque gratias extraordinarias, quas Dominus sacris Missionibus largiri solet. Hinc Missiones rite peractæ lapsos erigunt, debiles

(1) Epist. ad nov. Episc. de utilit. Mission. — (2) Epist. cit.

confirmant, fortes corroborant, errores discutiunt, fraudes dæmonis dispellunt, separant zizanias a tritico, fidelium fervorem tuentur, uno verbo, potissimum sunt adjumentum ad fidem conservandam. (1)

Objectiones contra Missiones. Parochi sufficiunt.

255. — Nonnulli tamen objiciunt: 1° Parochum, qui illas admittit, se palam opis indigentem profiteri, quasi officii sui partibus ipse non sufficeret. Respondemus: Nullus plane est prudens militiæ Præfectus, qui sibi probro ducat, si opportunis auxiliis juvetur et ordinariis militum copiis subsidiariæ aliunde cohortes accedant. Deinde Missiones multa bona efficiunt, quæ aliis mediis nunquam obtinerentur: tot peccatores absconditi hac occasione in lucem prodeunt, qui, nisi agitatio aliqua vehementior, quales in Missionibus fiunt, eos excitarit aut extraxerit, vix unquam ad frugem redirent; tot confessiones nullæ ac sacrilegæ, quæ reparantur; tot condonationes injuriarum ex animo factæ; tot occasiones proximæ, tam publicæ quam privatæ, quæ removentur; tot restitutiones, quæ procurantur; tot scandala, quæ cessant; uno verbo, tot mala, quæ forti strenuoque sacrarum Missionum assultu ita expugnantur, ut promptum remedium eo dierum spatio iis afferatur.

Fructus Missionum fugaces sunt.

Objiciunt 2°: Ignem in Missionibus accensum, accensum videri in stramine; luculenter ardet, sed brevi exstinguitur. Respondemus: An irrigare desinant plantas olitores, quia irrigatæ paulo post arescere incipiunt? Si ita recte arguerent objectatores, claudenda essent omnia confessionalia; quia post peccata Sacramento Pœnitentiæ expiata homines brevi in peccata relabuntur. Quare, sicut lapsus iterati ejus, qui per Confessionem surrexerat, non probant supersedendum esse a Confessione, sed solum redeundum sæpe esse ad Pœnitentiæ tribunal, ut vires deinceps accipiat, quibus rectus diu stare possit, sic iterati post Missiones abusus et peccata, si quid probant, id unum evincunt, recte facturum Parochum, si post Missionem ha-

(1) Instruct. S. Inquis. 10 Maji 1884. n. 1. (Revue théol. 1884. pag. 411.)

bitam mox ejusdem renovationem procuret, novamque Missionem post aliquot annorum intervallum instaurandam esse; Missiones enim pollent quidem virtute ad permovendos homines ut vitæ suæ errata seriò detestentur, non tamen ipsos stabiliendi in gratia; qua quidem vi nec illæ quidem pollebant Missiones, quas Apostoli peregerunt. »Miror, conqueritur Apostolus ad Galatas I. 6. et II. 1. »quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in »gratiam Christi, in aliud Evangelium .... O insensati »Galatæ; quis vos fascinavit non obedire veritati?" Hinc, si post Missionum exercitia multi se pristinis peccatis inquinant, ea non Missionum culpa est, sed aliunde provenit. Porro experientia docuit, quod pro vario Parochorum studio ut fructus Missionum suis in parochiis perduraret, alicubi diutius, alibi brevius bene cœpta perseverent. Illud denique adjungendum est, si non omnis Missionum fructus perdurat, perdurare tamen fructum multum, ita ut magna differentia reperiatur inter populos, qui Missionibus exculti sunt, et alios, qui tali beneficio fruiti non sunt; apud illos cernitur major ecclesiæ et Sacramentorum frequentatio, major devotio erga Deiparam, majus studium orationis, majorque morum honestas. Unde fit ut sacræ Missiones non modo populi bono prospiciant, verum etiam leviores reddant labores Pastorum, conscientiam illorum tranquillent, efficiantque ut ipsi securius supremo Judici de officio suo respondere valeant.

Missionum renovationes.

256. — De Missionum *renovationibus*, quæ brevi intervallo post Missiones habentur, S. Alphonsus scripsit in *Epist.* 73. eas pro scopo habere »in fidelium memoriam »revocare sacra exercitia, quibus adstiterunt, conciones, »quas audierunt, et promissa, quæ fecerunt. Quot animæ »per has spirituales renovationes confirmantur in bonis »suis propositis! Renovatio sæpe majorem, quam ipsa Mis»sio fructum producit."

Earum frequentia.

De *frequentia* Missionum S. Alphonsus censet Missionem singulis trienniis aut quadrienniis, Ven. P. Segneri singulis quinquenniis circiter repetendam esse. Quamobrem

saltem non differatur ultra septennium, et ad summum non ultra decenium; et sic plures Episcopi zelo animati præscripserunt. Denique, ut Missiones copiosum fructum ferant, ordinarie debent decem saltem dies *durare*, ut S. Alphonsus hujus rei peritissimus asseverat. S. Vincentius a Paulo quindecim saltem dies eis assignat, uti refert Maynard in vita Sancti. lib. VI. § IV.

Earum duratio.

257. — Ad confirmanda supradicta non abs re erit aliquot testimonia SS. Pontificum proferre de utilitate ac necessitate Missionum. Primo loco audiamus doctum Benedictum XIV, qui integram Constitutionem edidit de Missionum utilitate, imo necessitate, nimirum Constit. *Gravissimum.* 8 Sept. 1745 ad Episcopos Regni Neapolitani, ex quâ sequentia excerpimus, n. 4. 9. 10. et 11: »Diu»turnâ experientiâ edocti perspeximus, ad improbos mores »corrigendos, qui vel serpere incipiunt, vel nimis jam in»valescunt, vel tandem diuturnitate confirmati diœceses »latius occuparunt, nihil magis conferre, quam alienam »opem et vires implorare, videlicet *sacras Missiones ubique* »*indicere* .... Sacrarum Missionum utilitatem ac *necessita*»*tem* Nosipsi compertam habuimus, quoties illas accivimus... »Quocirca neque novum, neque incertum, neque a Nobis »excogitatum dici potest hoc remedium, quod populi cor»ruptelis corrigendis proponitur. Antiquum illud est, malis »curandis aptissimum *et fortasse unicum*, quod tot Episcopi »pietatis gloriâ insignes magnâ cum utilitate suis in diœ»cesibus adhibuerunt, quod Nosipsi toties experti sumus, »et Vos etiam, qui procul dubio populum Vobis commis»sum sacris Missionibus aliquando recreastis. Sed, ne vir»tute suâ careat ejusmodi remedium, preces ad Deum ef»fundendæ sunt, quippe: *Neque qui plantat est aliquid,* »*neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Deinde »seligendi sunt Missionarii doctrinæ laude præstantes, quive »populum diligenter instituant... Illi potissimum Missionarii »vocari debent, qui, postquam labes et scandala populi certo »deprehenderint, ipsorum gravitatem ac turpitudinem suis »concionibus ostendant et vehementer arguere possint."

Varia testimonia. Benedicti XIV.

Deinde Pius IX in Litteris *Nostris.* 8 Dec. 1849 ad Episcopos Italiæ ita scripsit: »Parochorum operæ adjungere interdum *oportet* extraordinaria subsidia spiritualium »exercitiorum et sacrarum Missionum, quas valde utiles, »benedicente Domino, esse constat, tum fovendo bonorum »pietati, tum peccatoribus et longo vitiorum habitu depravatis hominibus ad salutarem pœnitentiam excitandis, »adeo ut fidelis populus crescat in scientia Dei et in omni »opere bono fructificet, et uberioribus cœlestis gratiæ auxiliis munitus, a perversis inimicorum Ecclesiæ doctrinis »constantius abhorreat." Item in Litteris *Singulari quidem.* 17 Mart. 1856 ad Episcopos Austriæ: »Ea omnia peragite, quibus ipsi fideles populi, veritatis ac doctrinæ pabulo enutriti, Deum ex toto corde diligant ejusque mandata »apprime servent, ad Sanctissima Pœnitentiæ et Eucharistiæ »Sacramenta accedant, et singulari devotione SS. Dei Genitricem Mariam prosequantur et colant. Cum autem sacræ »Missiones ab idoneis operariis peractæ summopere conducant ad fidei religionisque spiritum in populis excitandum, »eosque ad virtutis ac salutis semitam revocandos, vehementer optamus, ut illas in Vestris diœcesibus agendas curetis." *Pii IX.*

Ex allatis documentis merito concludere licet, pro nostri ævi multigenis malis, e quibus societas humana misere decumbit, tamquam efficacissimum remedium divinâ Providentiâ indigitatas esse sacras Missiones. Cœlestis enim Medicus, qui, ut ait S. Gregorius, singulis quibusque vitiis obviantia adhibet medicamenta, diversorum quoque temporum morbis convenientia non desinit opponere remedia.

LAUS DEO

ET

MARIÆ IMMACULATÆ.

ERRATA.

Pag.	49	linea	9	sup.	*legitur*	illi	*legatur*	illis.
»	60	»	1	infr.	»	opus	»	opes.
»	64	»	16	sup.	»	tertiam	»	tertium.
»	83	»	18	inf.	»	recitandos	»	recitandas.
»	95	»	3	»	»	eoram	»	coram.
»	160	»	1	sup.	»	ergo	»	erga.
»	200	»	14	»	»	omittet	»	omittat.
»	205	»	6	»	»	exercendas	»	exercendos.
»	210	»	10	»	»	inordinata	»	inordinato.

INDEX ALPHABETICUS.

Numeri indicant numeros marginales.

A.

Abjectio animi. Vitanda Confessario. 25. 61.
Absolutio. Quid observandum, si differatur. 51. — Si denegetur. 51. — Recidivorum. 54. — Obligatorum ad restitutionem. 86. — Liberalium. 99. — Massonum aliorumque sectariorum. 103. seqq. — Hæreticorum. 114. 115. — Puerorum. 126. — Nutantium in fide. 116. — Hebetum. 167. — Moribundorum. 197.
Acceptio personarum. Vitanda Confessario. 21.
Adolescentes. Bonus dux illis opus est. 128. — Commendanda illis. 128. 130. — Notanda circa pollutionem, et amicitias particulares. 131. 132. — Electio statûs vitæ. 133. seqq.
Advocati. Quomodo interrogandi. 44.
Amicitiæ particulares. Generatim. 219. — Inter adolescentes. 132.
Anxietas. Vitanda Confessario. 24.

B.

Blasphemi. 80. seqq.

C.

Canones pœnitentiales. 48.
Captivi. 116. seqq. — Si capitis damnati sunt. 119.
Castitas. Necessaria Confessario. 15. — Ejus pericula. 141. 142. — Virtus moralis. 220.
Charitas. Magnopere commendatur in Confessario. 16. — Constituit perfectionem. 216. — Media eam obtinendi. 221. — Actus diversi. 221. — Charitas proximi. 221.
Circumspectio. Pertinet ad prudentiam. 10.
Communio. Ejus frequentia, vide v. **Sacramenta.** — Communio frequens Monialium. 152. sub V et VI. — Communio spiritualis. 234.
Confessarius. Ejus munus momentosum. 1. — Meritorium. 2. — Officia. 3. — Dotes. 3. — Scientia. 4. seqq. — Prudentia. 9. seqq. — Virtutes. 13. seqq. — Mutatio Confessarii. 207. — Confessarii extraordinarii Monialium. 152. sub IV.
Confessio. Frequens commendanda juvenibus. 128. — Sacerdotibus. 160. — Personis devotis. 206. — Tendentibus ad perfectionem. 231. — Confessiones generales. 241. seqq.
Confessionale. 78.
Conjuges. Eorum tribulationes. 145. seqq.
Conscientia. Erronea in pueris. 127. — Conscientiæ ratio apud Religiosos et Moniales. 152.
Consolationes spirituales. 236. 237.
Contritio. Ignorantia ejus necessitatis. 64. — Motiva. 50. 67.

Correptio. 68.
Custodes. Quomodo interrogandi. 45.

D.

Devotio. In quo consistat. 205. 220. — Necessitas ejus. 220. — Impedimenta ejus. 220. — Directio devotorum. 205. seqq. — Falsa devotio. 212. seqq.
Directio. Est medium perfectionis. 218. — Regulæ directionis. 222. 223.
Dispositio. De pœnitentium dispositione inquirendum. 28. — Quando dubia apparet. 50. — Quomodo disponendi sint dubie dispositi. 50. — Quid, si absolutio eis differatur. 51.
Divites. Quomodo tractandi. 163. 164. — Divitiæ quomodo possidendæ. 219.
Docilitas. Conducit ad prudentiam. 10.
Dubia. Quomodo solvenda. 66.

E.

Eleemosyna. 221.
Emendatio. Recidivorum. 53. — Obduratorum. 67. seqq. — Blasphemorum. 80. seqq. — Obligatorum ad restitutionem. 84. seqq. — Osorum. 88. seqq. — Libidinosorum. 91. seqq. — Liberalium. 94. seqq.
Eruditi. Quomodo tractandi. 165. 166.
Exercitia spiritualia. Commendanda Sacerdotibus. 162.
Exhortationes. 71. seqq. — Pueris faciendæ. 123.
Experientia. Sine scientiâ est periculosa. 7. — Cum scientiâ multum prodest. 10.

F.

Familia. Negotiis domesticis Confessarius se non immisceat. 22.
Familiaritas. Cum altero sexu vitanda. 15. 22. 141.
Fides. Nutantes in fide. 166. — Fontes incredulitatis. 166. — Tentationes contra fidem. 173. 193.
Fœminæ. Earum indoles. 139. — Cautelâ cum ipsis opus est. 140. 141. 211. — Si qua nimis adhæreat Confessario vel procax sit. 142. 213. 214. — Falso devotæ. 212. seqq.
Fortitudo. Necessaria est Confessario. 17. 20.

H.

Hæretici. Modus agendi, si velint ad Ecclesiam redire. 108. seqq. — In articulo mortis. 115.
Hebetes. Quomodo tractandi. 167.
Humilitas. 220.
Hypocrisis. 212. 214.
Hysteria. 186.

I.

Ignorantia. 63. seqq. — Circa matrimonium. 66. — Circa præcepta naturalia. 66.

Inconsiderantia. Vitanda Confessario. 22.
Incredulitas. Ejus fontes, et remedia. 166.
Indoles. Quomodo se habeat ad virtutem. 219.
Infirmi. Modus agendi cum ipsis. 187. seqq. — De quibus speciatim interrogandi sint. 190. — Eorum adhæsiones. 192. — Si pravos socios habuerunt. 192. — Eorum tentationes. 193. — Subsidia eis procuranda. 194. seqq. — Assistentia moribundorum. 196. seqq. — Agendi modus cum publico peccatore ægrotante. 188. sub 3o.
Inimici. Dilectio eorum. 221.
Interrogationes. Necessariæ sunt. 27. — Quæ faciendæ. 28. — Quomodo. 29 — In materiâ turpi. 30. — Pericula imprudentium interrogationum. 30. — Interrogationes de præceptis Decalogi. 33. seqq. 251. — De obligationibus statûs et officii. 41. seqq.

J.

Judices. Quomodo interrogandi. 44.
Judicium. Non supplet scientiam. 7. — Scientiâ acuitur. 7. — Adjuvat prudentiam. 10. — De dispositione recidivorum. 53.

L.

Laxitas. Vitanda. 23.
Liberales. Modus agendi cum illis. 99. — In articulo mortis. 99. qu. 4.
Liberalismus. 94. seqq.
Libertas conscientiæ. Summopere necessaria. 22. — Tempore Missionum. 244.
Luxuria. Motiva emendationis 91. 92. — Remedia. 93. — Impudicitia puerorum. 127. — Quam perniciosum sit hoc vitium Sacerdoti. 93. 153.

M.

Magnates. Quomodo tractandi. 163. 164.
Mansuetudo. 220.
Massones. Modus agendi cum illis, si converti velint. 102. seqq. — In articulo mortis. 103.
Matrimonium. Ejus electio. 137. 138. — Obligationes. 138.
Medici De quibus interrogandi. 46.
Milites. De quibus interrogandi. 45.
Missa. Observanda et evitanda in ejus celebratione. 159.
Missiones. Earum necessitas et fructus. 31. 253. seqq. — Renovationes Missionum. 256. — Frequentia et duratio Missionum. 256.
Modestia. In confessionali. 79.
Moniales. Quomodo interrogandæ in confessione. 43. — Virtutes maxime ipsis necessariæ. 149. — Earum directio. 149. 150. — Directio Antistitæ. 151. — Decretum Leonis XIII. 152.
Moribundi. Eorum assistentia. 196. seqq. — Agenda post obitum. 201. — Signa mortis. 202. 203.
Mortificatio. Ejus necessitas. 216. seqq. — Mortificatio sensuum, et passionum. 219. — Praxis mortificationis tum internæ tum externæ. 223. 228. 229.
Mysteria fidei. Eorum ignorantia. 64.

N.

Nautæ. De quibus interrogandi. 45.
Notarii. Quomodo interrogandi. 44.

O.

Obedientia. 220.
Occasionarii. Eorum directio est magni momenti. 52. — Difficultas removendi occasiones. 57. — Fraudes occasionariorum. 57. — Eorum absolutio. 57.
Odium. Modus agendi. 88. seqq. — Motiva ignoscendi. 89.
Officium divinum. Ejus præstantia. 158.
Operarii. De quibus interrogandi. 47. — Quid censendum, si laborem intermittant ad majorem mercedem extorquendam. 107.
Opifices. Eorum interrogatio. 47.
Oratio. Necessaria, efficax, et facilis. 69. — Adhibenda a Confessario, inculcanda peccatoribus. 69. 70. — Ante accessum ad confessiones audiendas. 79. — Maxime necessaria est Sacerdotibus. 157. — Oratio mentalis commendanda est Sacerdotibus. 157. — Personis devotis. 209. — Peccatoribus. 209. — Praxis orationis mentalis. 224. seqq.

P.

Passiones. Mortificandæ sunt. 219.
Patientia. 220.
Peccata. Interna, dominantia, prægnantia. 60. — Signa prænuntia peccatorum. 60. — Capitalia. 62. — Omissionis. 41. 64.
Perfectio. 216. seqq.
Pharmacopolæ. De quibus sint interrogandi. 46.
Pœnitentia. Motiva. 50. 67.
Politiæ ministri. Quomodo interrogandi sint. 45.
Pollutio. Notanda circa illam. 131.
Præparatio. Ad confessiones audiendas. 79.
Propinqui. Eorum amor moderandus est. 219.
Prudentia. Necessaria est. 9. — Media eam acquirendi. 10. — Ejus partes in Confessario. 12. — Quid, si Confessarius prænoscit impedimentum absolutionis. 79.
Pueri. Agendi ratio cum illis. 120. seqq. — Si recidivi sunt. 126 — Actiones impudicæ. 127. — Restituendi obligatio. 127. — Conscientia erronea. 127.
Puritas. Intentionis juvat ad prudentiam. 10. — Necessaria est Confessario. 15.

R.

Recidivi. Eorum directio est magni momenti. 52. — Judicium de eorum dispositione. 28. 53. — Eorum emendatio. 53. — Eorum absolutio. 54. 55. — Quid agendum, si absolutio eis differatur. 51. — Patientia erga illos necessaria est. 56. — Pueri recidivi. 126.
Religio. Virtus religionis. 220.
Religiosi. Quomodo interrogandi sint. 43.
Religiosus status. Ejus electio. 134.

Remedia. Pro omnibus. 59. — Quædam objecta particularia. 60. — Contra peccata capitalia. 62. — Contra cordis duritiam. 67. seqq. — Contra blasphemias. 83. — Contra odium. 89. 90. — Contra luxuriam. 93. — Contra Liberalismum. 101. — Contra tentationes. Vide v. **Tentationes.** — Contra scrupulos. 179. — Contra reticentiam peccatorum. 31. 32. 244. 253.
Respectus humanus. Vitandus Confessario. 20.
Restitutio. Modus agendi. 84. — Cum pueris. 127. — Cum infirmis. 190.
Reticentia peccatorum. Non est rara. 31. — Causæ ejus. 32. — Quomodo ei obviandum. 31. 32. 244. 253.
Rigor. Vitandus est. 23.

S.

Sacerdotes. Quomodo interrogandi sint in confessione. 42. — Quantum prosit eorum vita sancta, quantum noceat mala. 153. — Agendi ratio Confessarii, imprimis cum malis. 154. — Media vitæ sacerdotalis. 156. seqq.
Sacramenta. Eorum frequentatio commendanda juvenibus. 128. — Personis devotis. 206. — Tendentibus ad perfectionem. 231. seqq.
Satisfactio. Regula servanda in ejus injunctione. 49. — Levis imponenda infirmis. 190.
Scientia. Necessaria Confessario. 4. — Magna postulatur. 5. — Practica sit. 6. — Nihil eam supplet. 7. — Juvat experientiam. 10.
Scrupulosi. Quomodo tractandi sint. 178. seqq. — Scrupulositas obest perfectioni. 219.
Sensus. Mortificandi sunt. 219.
Spiritus. Motus boni et mali spiritûs. 238. seqq.
Sponsis. Monita ipsis danda. 138.
Status vitæ. Ejus electio. 133. — Status religiosus. 134. — Status clericalis. 135. — Status virginitatis. 136. — Status matrimonii. 137.
Studium. Necessarium est. 8. 161.

T.

Temperamenta. 138. seqq.
Tentationes. In genere. 168. seqq. — Ordinariæ Confessariorum. 15. — Tentationes infirmorum. 193. — Tendentium ad perfectionem. 235. — Contra fidem. 166. 173. 193. — Contra spem. 193. — Contra charitatem proximi. 193. — Contra patientiam. 193. — Contra castitatem. 173. — Diabolicæ. 175. 219. — Manifestandæ sunt Confessario. 223.
Tepor. Signa ejus, et remedia. 235.
Tribulationes. In genere. 176. seqq. — Conjugum. 145. seqq.

U.

Uxores. Agendi ratio cum ipsis. 143.

V.

Vana gloria. 219.
Vanitas. In Confessario. 19.

Vestes sacræ. In confessionali. 78.
Viduæ. Agendi ratio cum ipsis. 143. qu. 2.
Virtus. Conducit ad prudentiam. 11. — Necessaria est Confessario. 13. — Virtutes cardinales et adnexæ. 220. — Theologicæ. 221. — Actus virtutum alii occulte, alii palam exercendi. 230.
Votum. Castitatis. 136.

Z.

Zelus. Necessarius est Confessario, estque valde meritorius 14. — Ejus defectus. 18. — Fœtus est charitatis. 221.

INDEX SYNOPTICUS.

Pag.

Procœmium IV
Introductio 1

Pars Prima. De Dotibus Confessarii.

Caput I. Scientia Confessarii 3
Caput II. Prudentia Confessarii 8
Caput III. Virtutes Confessarii 12
Caput IV. Vitia Confessario vitanda . . . 15

Pars Secunda. De Praxi generatim servanda in Confessionibus.

Caput I. Officium Patris 22
Caput II. Officium Judicis 23
Art. I. Praxis interrogandi pœnitentes . »
§ 1. Regulæ generales . . . »
§ 2. Quæstiones faciendæ rudibus . 33
§ 3. Quæstiones faciendæ personis diversæ conditionis conscientiam neglectam habentibus . . 40
Art. II. Praxis imponendi satisfactionem . 42
Art. III. Praxis impertiendi vel differendi absolutionem 44
§ 1. Modus agendi in absolutione differenda . . . . . »
§ 2. Absolutio danda vel differenda recidivis et occasionariis . . 48

Pag

Caput III. Officia Medici 57
Art. I. Remedia generalia . . . . . »
Art. II. Remedia contra peccata capitalia . 60
Art. III. Praxis curandi ignorantiam . . 61
Art. IV. Praxis curandi cordis duritiam . 65
Art. V. Praxis exhortandi pœnitentes . . 72
Caput IV. Quædam observanda in actu Confesssionis 76

Pars tertia. De Praxi servanda in Confessionibus particularium personarum.

Caput I. Modus se gerendi erga variis vitiis obnoxios 79
Art. I. Erga blasphemos . . . . . »
Art. II. Erga obligatos ad restituendum . 81
Art. III. Erga implicatos odio et inimicitia . 84
Art. IV. Erga infectos luxuriâ . . . 86
Art. V. Erga Liberales nostræ ætatis . 89
Art. VI. Erga Massones converti volentes . 98
Art. VII. Erga hæreticos volentes ad Ecclesiam redire 102
Art. VIII. Erga reos in carcere detentos . 114
Caput II. Modus se gerendi habitâ ratione ætatis et sexûs 118
Art. I. Erga pueros . . . . . »
Art. II. Erga adolescentes et juvenes . . 123
§ 1. Communis agendi ratio . . . »
§ 2. Circa electionem statûs vitæ . . 127
Art. III. Erga sexum fœmineum . . . 133
Caput III. Modus se gerendi habitâ ratione statûs vitæ 138
Art. I. Erga conjuges . . . . . »
Art. II. Erga Moniales 140
Art. III. Erga Sacerdotes 147
Art. IV. Erga magnates et divites . . 157
Caput IV. Modus se gerendi habitâ ratione conditionis animæ 159

Pag.
Art. I. Erga eruditos 159
Art. II. Erga hebetes 163
Art. III. Erga tentatos 164
Art. IV. Erga tribulatos 170
Art. V. Erga scrupulosos 172
Caput V. Modus se gerendi habitâ ratione conditionis corporis 176
Art. I. Erga diversa temperamenta . . »
Art. II. Erga infirmos 180
§ I. Confessio ægroti . . . . . »
§ II. Alia auxilia 185
§ III. Affectus ægrotis suggerendi . . 189
§ IV. Assistentia moribundorum . . 192
§ V. Imminentis mortis signa . . 195
Caput VI. Modus se gerendi erga personas, quæ devotionem profitentur 196
Art. I. Erga personas vere devotas . . 197
Art. II. Erga personas specie devotas . 201
Caput VII. Modus se gerendi erga personas, quæ ad perfectionem tendunt 203
Art. I. Summarium perfectionis . . . 204
§ I. Notio perfectionis . . . . . »
§ II. Gradus perfectionis . . . 205
§ III. Media perfectionis 206
§ IV. Impedimenta perfectionis . . 207
§ V. Virtutes morales 211
§ VI. Virtutes theologicæ . . . 215
Art. II. Regulæ generales directionis . . 219
Art. III. Praxis orationis mentalis . . 223
Art. IV. Praxis mortificationis . . . 226
Art. V. Frequentatio Sacramentorum . . 230
Art. VI. Observanda circa tentationes . . 234
Art. VII. Observanda circa consolationes et desolationes 235
Art. VIII. Observanda circa motus boni et mali spiritûs 236

Pag.

Caput VIII. Modus se gerendi in confessionibus generalibus 239

Art. I. Confessionum generalium utilitas in genere . . . . . »

Art. II. Quibus confessio generalis sit necessaria, utilis, vel noxia . . . 244

Art. III. Modus excipiendi confessionem generalem 248

Art. IV. Catalogus peccatorum . . . 251

Caput IX. De sacris Missionibus 258

239.7
Ae 84

22445

AUTHOR
Aertnys, Jos., C.SS.R.

TITLE
Theologia Pastoralis

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Playpoint	OCT 12
	STORAGE - CBPL	

22445